

M. TULLĪ CICERŌNIS

LÆLIUS

VEL

DĒ AMĪCITIĀ

NICOLAS LAKSHMANAN

ĒDIDIT

novā significantissimā interpūnctiōne

longisque vocālibus notātis

atque titulīs adjūnctīs

WWW.LETTRESCLASSIQUES.FR

M. TULLĪ CICERŌNIS

LÆLIUS

VEL

DĒ AMĪCITIĀ

PRÆFATIŌ AD ATTICUM¹—
QUŌ MODŌ DĒ AMĪCITIĀ DISSERTŪRUS SIT

[¹] Q. Mūcius augur² multa narrāre dē C. Læliō³, socerō suō, memoriter et jūcundē solēbat ; nec dubitāre illum, in omnī sermōne, appellāre sapientem. Ego autem ā patre ita eram dēductus ad Scævolam, sūmptā virīlī togā, ut, quoad possem et licēret, ā senis latere numquam discēderem. Itaque multa ab eō prūdenter disputāta, multa etiam breviter et commodē dicta memoriæ mandābam ; fierīque studēbam, ējus prūdentiā, doctior.

*Sē ā duobus
Scævolīs
ēducātum esse*

Quō mortuō mē ad pontificem Scævolam⁴ contulī, quem ūnum nostræ cīvitātis, et ingeniō et jūstitiā, præstantissimum audeō dīcere. Sed dē hōc aliās ; nunc redeō ad augurem.

[²] Cum sæpe multa, tum meminī domī in hēmicycliō sedentem, ut solēbat, cum et ego essem ūnā, et paucī admodum familiārēs, in eum sermōnem illum incidere quī tum forte multīs erat in ōre. Meministī enim

*Illum olim
locutum esse
dē duobus
amīcissimīs*

-
1. **Tītus Pomponius « Atticus »** (110-32) [Atticus] : en 85, alors que l'affrontement entre Marius et Sylla battait son plein, il se réfugia à Athènes ; à son retour à Rome, il se tint à l'écart des querelles et se ménagea tous les partis ; se maria en 56 et sa fille devint la femme d'Agrippa, le ministre d'Auguste. Historien dont il nous reste une *Vie de Cornélius Népos*, l'ami fidèle de Cicéron fut l'éditeur de ses lettres.
 2. **Quīntus Mūcius Scævola « Augur »** (v. 170-87) : consul en 117 ; juriste éminent.
 3. **Gāius Lælius « Sapiēns »** [Lélius] : en 151, tribun de la plèbe, il retira son projet de réforme agraire devant l'opposition du Sénat ; légat de Scipion Émilien durant la troisième guerre punique (149-146) ; consul en 140 ; s'opposa aux Gracques — en 131, s'opposa à la loi proposée par *Papīrius Carbō* qui autorisait un second mandat aux tribuns.
 4. **Quīntus Mūcius Scævola « Pontifex »** (v. 140-82) : en 115, *pontifex maximus* ; consul en 95, sa loi contre les étrangers illégalement inscrits sur la liste des citoyens provoqua la guerre Sociale ; il fut assassiné par les partisans de Marius dans le temple de Vesta. Orateur et juriste distingué, auteur du premier traité systématique de droit civil.

profecto, Attice, et eo magis, quod P. Sulpicio⁵ utēbare multum, cum is, tribunus plebis, capitali odio a Q. Pompeio, qui tum erat consul, dissideret, quocum conjunctissime et amantissime vixerat, quanta esset hominum vel admiratio vel querella.

[3] Itaque tum Scævola, cum in eam ipsam mentionem incidisset, exposuit nobis sermonem Laeli de amicitia, habitum ab illo secum et cum altero genero, C. Fannio⁶ Marci filio, paucis diebus post mortem Africani⁷. Ejus disputationis sententias memoriae mandavi, quas hoc libro exposui arbitrati meo — quasi enim ipsos induxi loquentes, ne « inquam » et « inquit » saepius interponeretur, atque ut tamquam a presentibus coram haberem sermo videretur.

*Eum exposuisse
sermonem Laeli
de amicitia*

[4] Cum enim saepe mecum ageres ut de amicitia scriberem aliquid, digna mihi res — cum omnium cognitione tum nostram familiaritatem — visa est. Itaque feci, non invitus, ut prodessem multis, rogatum tuo.

*Cum se Catonem
induxisse
disputantem
de senectute*

Sed ut in *Catone Major*⁸, qui est scriptus ad te de senectute, Catonem induxi senem disputantem — quia nulla videbatur aptior persona quam de illa aetate loqueretur, quam ejus qui et diutissime senex fuisset et in ipsa senectute praeter ceteros florisset —, sic, cum accepissemus a patribus maxime memorabilem C. Laeli et P. Scipionis familiaritatem fuisse, idonea

-
5. **Publius Sulpicius Rufus** (124-88) : renonça à son statut de patricien pour devenir tribun de la plèbe, en 95 ; tribun de la plèbe en 88, il se rangea au parti de Marius, en s'opposant aux deux consuls, Sylla et **Quintus Pompeius Rufus** : il fit voter une loi qui répartissait les Italiens nouvellement affranchis dans toutes les tribus, et leur donnait un poids civique plus important — une autre retirait le commandement de l'armée contre Mithridate à Sylla pour la donner à Marius ; consul en 88, il fut tué au retour de Sylla.
 6. **Gaius Fannius** : gendre de Lélius ; il servit sous Scipion. Tribun en 142, préteur en 126, consul en 122, il lutta contre C. Gracchus. Composa des ouvrages d'histoire.
 7. **Publius Cornélius Scipio Émiliānus « Africānus »** (185-129) [Scipion Emilien, « le Second Africain »] : second fils de Paul Emile, le conquérant de la Macédoine, il fut adopté par **Publius Scipio**, fils de Scipion l'Africain ; en 149-148, se couvrit de gloire en tant que tribun militaire dans la troisième guerre punique ; précocement consul, en 147 ; détruisit Carthage ; censeur en 142 ; à nouveau consul en 133 pour mettre fin à la guerre de Numance en Espagne ; à son retour à Rome, il prit la tête des opposants aux Gracques. Homme de culture, il eut pour amis Polybe, Lucilius, Térence, et, évidemment, Lélius.
 8. Le *Catō Major*, ou *Dē senectūte*, faisait parler **Mārcus Porcius Catō « Major, Prīscus, Cēnsōrius »** (234-149) [Caton l'ancien] : adversaire des Scipions, il fut consul en 195, censeur en 184 ; sa sévérité est proverbiale. Auteur du fameux « *Carthāgō dēlenda est.* » Historien ; auteur du *Dē agricultūra*.

mihi Lælii persōna vīsa est, quæ de amicitia ea ipsa disserteret quæ disputata ab eō meminisset Scævola.

Genus autem hoc sermōnum positum in hominum veterum auctoritate, et eōrum inlūstrium, plūs, nesciō quō pacto, videtur habere gravitatis. Itaque, ipse mea legēns, sic afficior interdum : ut Catōnem, nōn mē loquī exīstimem.

[5] Sed ut tum ad senem senex de senectūte, sic hōc librō ad amicum amīcissimus scrīpsī de amicitia. Tum est Catō locūtus, quō erat nēmō ferē senior temporibus illīs, nēmō prūdēntior ; nunc Lælius, et sapiēns (sic enim est habitus) et amicitiaē glōriā excellēns, de amicitia loquētur.

Tū, velim, ā mē animum parumper āvertās : Lælium loquī ipsum putēs. C. Fannius et Q. Mūcius⁹ ad socerum veniunt post mortem Africānī. Ab hīs sermō oritur ; respondet Lælius, cūjus tōta disputatiō est de amicitia. Quam legēns tē ipse cōgnōscēs.

*Cūr Lælium
de amicitia
locutūrum*

PROLOGUS

—

QUEM AD MODUM LÆLIUS AD DISSERTENDUM DE AMICITIA INCITATUS SIT

Cūr Lælius de amicitia disserere optimē possit

[6] *Fannius* — Sunt ista, Lælii. Nec enim melior vir fuit Africānō quisquam, nec clārior. Sed exīstimāre debēs omnium oculōs in tē esse conjectōs ūnum : tē sapientem et appellant et exīstimant. Tribuēbātur hoc modo M. Catōnī ; scīmus L. Acīlium¹⁰ apud patrēs nostrōs appellātum esse sapientem ; sed uterque aliō quōdam modō : Acīlius, quia prūdēns esse in jūre cīvīlī putābātur ; Catō, quia multārum rērum ūsum habēbat. Multa ējus, et

*Lælium ut aliōs
sapientem esse*

9. Cf. §§ 1 et 3.

10. Personnage à peu près inconnu ; probablement un juriste du II^e siècle.

in senātū et in forō, vel prōvīsa prūdenter vel ācta cōstanter vel respōnsa acūtē ferēbantur. Proptereā quasi cognōmen jam habēbat in senectūte sapientis.

[7] Tē autem aliō quōdam modō, nōn solum nātūrā et mōribus, vērūm etiam studiō et doctrīnā esse sapientem, nec sicut vulgus, sed ut ērudītī solent appellāre sapientem ; quālem in reliquā Græciā nēminem (nam quī septem appellantur, eōs, quī ista subtīlius quærunt, in numerō sapientium nōn habent), Athēnīs ūnum accēpimus, et eum quidem etiam Apollinis ōrāculō sapientissimum jūdicātum.

*Multi scire
volunt quō
pactō illum
sapientissimum
mortem
amicissimī
ferat*

Hanc esse in tē sapientiam exīstimant : ut omnia tua in tē posita esse dūcās, hūmānōsque cāsūs virtūte īferiōrēs putēs. Itaque ex mē quærunt — crēdō ex hōc item Scævolā — quōnam pactō mortem Africānī ferās ; eōque magis quod, proximīs Nōnīs cum in hortōs D. Brūtī auguris¹¹, commentandī causā, ut adsolet, vēnissēmus, tū nōn adfuistī — quī dīlign-tissimē semper illum diem et illud mūnus solitus essēs obīre.

[8] Scævola — Quærunt quidem, C. Læli, multī, ut est ā Fanniō dictum, sed ego id respondeō : quod animum advertī tē dolōrem, quem accēperis cum summī virī tum amīcissimī morte, ferre moderātē : nec potuisse nōn commovērī, nec fuisse id hūmānitātis tuæ — quod autem Nōnīs in collēgiō nostrō nōn adfuissēs, valētūdinem respondeō causam, nōn mæstitiam fuisse.

*Lælium
dolōrem ferre
moderātē*

Lælius — Rēctē tū quidem, Scævola, et vērē ; nec enim ab istō officiō, quod semper ūsurpāvī, cum valērem, abdūcī incommodō meō dēbuī ; **nec ūllō cāsū arbitror hoc cōstantī hominī posse contingere : ut ūlla intermissiō fiat officiī.**

[9] Tū autem, Fannī, quod mihi tantum tribuī dīcis quantum ego nec adgnōscō nec postulō, facis amīcē. Sed, ut mihi vidēris, nōn rēctē jūdicās dē Catōne : aut enim nēmō, quod quidem magis crēdō, aut sī quisquam, ille sapiēns fuit. Quō modō, ut alia omittam, mortem filiī tulit ! Memineram

*Lælium dīcere
Catōnem
sapientiōrem
quam sē fuisse*

contre les Galèces, dans le nord-ouest de l'Espagne, en 136 ; mécène. Leurs réflexions (commentandi) ont pu porter sur leurs fonctions religieuses : Lélius fut aussi augure.

Paulum¹², vīderam Galum¹³, sed hī in puerīs, Catō in perfectō et spectātō virō.

Scipiōnem beātissimum fuisse

[10] Quam ob rem cavē Catōnī antepōnās nē istum quidem ipsum, quem Apollō, ut ais, sapientissimum jūdicāvit : hūjus enim facta, illīus dicta laudantur. Dē mē autem, ut jam cum utrōque vestrum loquar, sīc habētōte :

Nihil malī accidisse Scīpiōnī

Ego sī Scīpiōnis dēsideriō mē movērī negem, « quam id rēctē faciam ! » vīderint sapientēs ; sed certē mentiar. Moveor enim tālī amīcō orbātus quālis, ut arbitrō, nēmō umquam erit, ut cōfirmāre possum, nēmō certē fuit. Sed nōn egeō medicīnā, mē ipse cōsōlor et maximē illō sōlāciō quod eō errore cārēō quō amīcōrum dēcessū plērīque angī solent. Nihil malī accidisse Scīpiōnī putō : mihi accidit, sī quid accidit. Suīs autem incommodīs graviter angī, nōn amīcum sed sē ipsum amantis est.

[11] Cum illō, vērō quis neget āctum esse præclārē ? Nisi enim, quod ille minimē putābat, immortalitātem optāre vellet, quid nōn adeptus est quod hominī fās esset optāre ? Quī summam spem cīvium, quam dē eō jam puerō habuerant, continuō adulēscēns incrēdibilī virtūte superāvit ; quī cōsulātum petīvit numquam, factus cōsul est bis : prīmum ante tempus, iterum sibi suō tempore, reī pūblicæ pæne sērō ; quī, duābus urbibus ēversīs inimīcissimīs, huīc imperiō nōn modo præsētia vērūm etiam futūra bella dēlēvit. Quid dīcam dē mōribus facillimīs, dē pietāte in mātrem, līberalitāte in sorōrēs, bonitāte in suōs, jūstitiā in omnēs ? Nōta

Scipiōnem omnia adeptum esse

12. **Lūcius Æmilius Paullus « Macedonicus »** (230-160) [Paul Emile] : fils du consul Paul Emile, tué lors de la bataille de Cannes en 216 ; consul en 182 et en 168 ; il fut alors vainqueur de la bataille de Pydna qui mit fin à la guerre de Macédoine ; versa scrupuleusement le butin dans le Trésor romain, ne conservant que la bibliothèque du roi Persée ; perdit ses deux fils cadets lors de son triomphe en 167 ; père de *P. Scipiō Æmiliānus* [Scipion Emilien, « le second Africain »] (v. §3).

13. **Gāius Sulpicius Gallus** : en 168, avant la bataille de Pydna, prévoit une éclipse de lune ; en 166, consul, il soumet les Ligures ; vers 152, après avoir accompli des missions diplomatiques importantes, il perd son jeune fils.

sunt vōbīs. Quam autem cīvitātī cārus fuerit, mārōre fūneris indicātum est.

Quid igitur hunc paucōrum annōrum accessiō iuvāre potuisset ? Senecus enim, quamvīs nōn sit gravis, ut meminī Catōnem, annō antequam est mortuus, mēcum et cum Scīpiōne disserere, tamen aufert eam viriditātem in quā etiam nunc erat Scīpiō.

^[12] Quam ob rem vīta quidem tālis fuit vel fortūnā vel glōriā, ut nihil posset accēdere. Moriendī autem sēsum celeritās abstulit. Quō dē genere mortis difficile dictū est ; quid hominēs suspicentur, vidētis... hoc vērē tamen licet dīcere : P. Scīpiōnī ex multīs diēbus, quōs in vītā celeberrimōs lætissimōsque vīderit, illum diem clārissimum fuisse : cum, senātū dīmissō, domum reductus ad vesperum est ā patribus cōnscrīptīs, populō Rōmānō, sociīs et Latīnīs, prīdiē quam excessit ē vītā, ut, ex tam altō dīgnitātis gradū, ad superōs videātur deōs potius quam ad īferōs pervēnisse.

*Diem
mortis ējus
clārissimum
fuisse*

Mortem nōn mārēndum

^[13] Neque enim assentior iīs quī hęc nūper disserere cōeperunt : cum corporibus simul animōs interīre atque omnia morte dēlērī.

Plūs apud mē antīquōrum auctōritās valet ; vel nostrōrum mājōrum, quī mortuīs tam religiōsa jūra tribuerunt — quod nōn fēcissent profectō, sī nihil ad eōs pertinēre arbitrārentur — ; vel eōrum quī in hāc terrā fuerunt, magnamque Græciam — quæ nunc quidem dēlēta est, tum flōrēbat — īnstitūtīs et præceptīs suīs ērudierunt ; vel ējus quī Apollinis ōrāculō sapientissimus est jūdicātus, quī nōn tum hoc, tum illud, ut in plērīsque, sed idem semper : « animōs hominum esse dīvīnōs ; iīsque, cum ex corpore excessissent, reditum in cælum patēre — optimōque et jūstissimō cuique expeditissimum. »

*Cūr putet
animōs nōn
interīre*

[14] Quod idem Scīpiōnī vidēbātur, quī quidem, quasi præsāgīret, perpaucīs ante mortem diēbus — cum et Philus¹⁴ et Mānīlius¹⁵ adesset et aliī plūrēs, tūque etiam, Scævola, mēcum vēnissēs — trīduum disseruit dē rē pūblicā. Cūjus disputātiōnis fuit extrēmum ferē dē immortalitāte animōrum — quæ sē, in quietē per vīsum, ex Africānō audisse dīcēbat. Id sī ita est, ut optimī cūjusque animus in morte facillimē ēvolet tamquam ē custōdiā vinclisque corporis, cuī cēnsēmus cursum ad deōs faciliōrem fuisse quam Scīpiōnī ?

*Cūr ējus
ēventū nōn
mærendum sit*

Quōcircā mærerē hōc ējus ēventū vereor nē invidī magis quam amīcī sit. Sīn autem illa vēriōra, ut idem interitus sit animōrum et corporum nec ūllus sēnsus maneat, ut nihil bonī est in morte, sīc certē nihil malī. Sēnsū enim āmissō fit idem, quasi nātus nōn esset omnīnō — quem tamen esse nātum et nōs gaudēmus, et hæc cīvitās, dum erit, lætābitur.

[15] Quam ob rem cum illō quidem, ut suprā dīxī, āctum optimē est — mēcum incommodius, quem fuerat æquius, ut prius introieram, sīc prius exīre dē vītā. Sed tamen recordātiōne nostræ amīcitiæ sīc fruor ut beātē vīxisse videar, quia cum Scīpiōne vīxerim, quōcum mihi conjūcta cūra dē pūblicā rē et dē prīvātā fuit, quōcum et domus fuit et mīlitia commūnis et, id in quō est omnis vīs amīcitiæ, voluntātum, studiōrum, sentiārum summa cōnsēnsiō.

*Cūr Lælium
beātē vīxisse
videātur*

Itaque nōn tam ista mē sapientiæ, quam modo Fannius commemorāvit, fāma dēlectat, falsa præsertim, quam quod amīcitiæ nostræ memoriā spērō sempiternam fore. Idque eō mihi magis est cordī, quod ex omnibus sæculīs vix tria aut quattuor nōminantur paria amīcōrum : quō in genere spērāre videor Scīpiōnis et Læli amīcitiā nōtam posteritātī fore.

[16] *Fannius* — Istuc quidem, Læli, ita necesse est. Sed quoniam amīcitiæ mentiōnem fēcistī et sumus ōtiōsī, pergrātum mihi fēceris, spērō item Scævola, sī quem ad modum solēs dē cēterīs rēbus, cum ex tē quæruntur, sīc dē amīcitiā disputāris : quid sentiās, quālem exīstimēs, quæ præcepta dēs.

*Fannium et
Scævolam
rogāre Lælium
ut dē amīcitiā
disputētur*

14. **Lūcius Fūrius « Philus »** : assiste aux conférences données par les philosophes Athéniens Carnéade, Diogène et Critolaüs en 155 ; lutte pendant son consulat contre Numance (Espagne citérienne) en 136. Homme de culture ; doit son surnom à son philhellénisme.

15. **Mānius Mānīlius** (191-...) : consul en 149, il lance la troisième guerre punique (149-146) ; il est considéré comme l'un des fondateurs du droit civil romain.

Scævola — Mihi vērō erit grātum ; atque id ipsum cum tēcum agere cōnārer, Fannius antevertit. Quam ob rem utrīque nostrum grātum admōdum fēceris.

LÆLIĪ ŌRĀTIŌ PRĪMA

AMĪCITIĀM NĀTŪRÆ APTAM ESSE

Dē amīcitiæ excellentiā

^[17] *Lælius* — Ego vērō nōn gravārer, sī mihi ipse cōnfīderem : nam et præclāra rēs est ; et sumus, ut dīxit Fannius, ōtiōsī. Sed quis ego sum ? aut quæ est in mē facultās ? Doctōrum est ista cōnsuētūdō, eaque Græcōrum, ut iīs pōnātur dē quō disputent quamvīs subitō ; magnum opus est, egetque exercitātiōne nōn parvā.

*Amīcitiām
omnibus rēbus
hūmānīs
antepōnendam*

Quam ob rem quæ disputārī dē amīcitiā possunt, ab eīs cēnsēō petātis quī ista profitentur ; ego vōs hortārī tantum possum ut amīcitiām omnibus rēbus hūmānīs antepōnātis : nihil est enim tam nātūræ aptum, tam conveniēns ad rēs vel secundās vel adversās.

^[18] Sed hoc primum sentiō : **nisi in bonīs, amīcitiām esse nōn posse.** Neque id ad vīvum resecō¹⁶, ut illī quī hęc subtilius disserunt — fortasse vērē, sed ad commūnem ūtilitātem parum. Negant enim quemquam esse virum bonum nisi sapientem. Sit ita sānē ; sed eam sapientiam interpretantur quam adhūc mortālis nēmō est cōnsecūtus.

*Quī bonī,
inter quōs sōlōs
amīcitiām
esse potest,
vērē sint*

Nōs autem ea quæ sunt in ūsū vītāque commūnī, nōn ea quæ finguntur aut optantur, spectāre dēbēmus. Numquam ego dīcam C. Fabricium¹⁷, M’.

16. = « trancher dans le vif, être trop radical ».

17. **Gāius Fabricius « Luscinius »** : consul en 282, il défit les Lucaniens à Thourioi ; en 280, refusa les pots-de-vin de Pyrrhus alors qu’il négociait un échange de prisonniers ; en 278, à nouveau consul, livra à Pyrrhus le traître qui proposait de l’empoisonner ; en 275, censeur

Curium¹⁸, Ti. Coruncanium¹⁹, quôs sapientēs nostrī mājōrēs jūdicābant, ad istōrum normam fuisse sapientēs. Quārē sibi habeant sapientiæ nōmen et invidiōsum et obscūrum ; concēdant ut virī bonī fuerint. Nē id quidem facient : negābunt id nisi sapientī posse concēdī.

[19] Agāmus igitur pingūi, ut āiunt, Minervā²⁰. Quī ita sē gerunt, ita vīvunt, ut eōrum probētur fidēs, integritās, æquitās, līberālitās, nec sit in eīs ūlla cupiditās, libīdō, audācia, sintque magnā cōstantiā, ut iī fuerunt modo quôs nōmināvī : hōs virōs bonōs, ut habitī sunt, sīc etiam appellandōs putēmus, quia sequantur, quantum hominēs possunt, nātūram, optimam bene vīvendī ducem.

Sīc enim mihi perspicere videor : ita nātōs esse nōs ut inter omnēs esset societās quædam, mājor autem ut quisque proximē accēderet — itaque cīvēs potiōrēs quam peregrīnī, propinquī quam aliēnī. Cum hīs enim amīcitiā nātūra ipsa peperit ; sed ea nōn satis habet firmitātis. Namque hōc præstat amīcitiā propinquitātī, quod ex propinquitāte benevolentia tollī potest, ex amīcitiā nōn potest : sublātā enim benevolentia, amīcitiæ nōmen tollitur, propinquitātis manet.

Cūr
ā propinquitāte
amīcitiā differat

[20] Quanta autem vīs amīcitiæ sit, ex hōc intellegī maximē potest : quod ex īnfīnitā societāte generis hūmānī quam conciliāvit ipsa nātūra, ita contracta rēs est et adducta in angustum, ut omnis cāritās aut inter duōs aut inter paucōs jungerētur.

Quanta vīs
amīcitiæ sit

Est enim amīcitiā nihil aliud nisi omnium dīvinārum hūmānarumque rērum cum benevolentia et cāritāte cōnsēsiō ; quā quidem haud sciō an, exceptā sapientiā, nihil melius hominī sit ā dīs immortalibus datum.

austère, il exclut un sénateur parce qu'on avait trouvé chez lui de la vaisselle d'argent ; meurt dans la pauvreté. Contemporain et probablement ami des deux suivants.

18. **Mānius Curius « Dentātus »** : consul en 290, vainquit les Samnites, puis les Sabins ; en 285, il défit les Senons ; à nouveau consul en 275, puis en 274, vainquit les Samnites puis Pyrrhus à Bénévent ; censeur en 272, il organisa la construction de l'aqueduc du vieil Anio (*Aqua Anio Vetus*) ; mourut en 270. Modèle de probité selon Caton l'ancien : il aurait repoussé la tentative de corruption des Samnites, parce qu'il « préférerait gouverner ceux qui avaient de l'or plutôt que d'en posséder lui-même. »

19. **Tiberius Coruncānius** : consul en 280, il vainquit les Etrusques ; en 253, premier plébéien à être élu grand pontife. Juriste éminent.

20. Métonymie pour *sapientia*.

Dē amicitiae virtūte

Dīvitias aliī præpōnunt, bonam aliī valētūdinem, aliī potentiam, aliī honōrēs, multī etiam voluptātēs. Bēluārum hoc quidem extrēmum ; illa autem superiōra cadūca et incerta, posita nōn tam in cōnsiliīs nostrīs quam in fortūnæ temeritate. Quī autem in virtūte summum bonum pōnunt : præclārē illī quidem. Sed hæc ipsa virtūs amicitiam et gignit et continet, nec sine virtūte amicitia esse ūllō pactō potest.

Virtūtem
amicitiam
gignere

^[21] Jam virtūtem ex cōnsuetūdine vītæ sermōnisque nostrī interpretemur ! Nec eam, ut quīdam doctī, verbōrum magnificentiā mētiāmur, virōsque bonōs eōs quī habentur numerēmus : Paulōs, Catōnēs, Galōs, Scīpiōnēs, Philōs²¹. Hīs, commūnis vīta contenta est ; eōs autem omittāmus quī omnīnō nusquam reperiuntur.

^[22] Tālīs igitur inter virōs, amicitia tantās opportunitātēs habet, quantās vix queō dīcere. **Prīncipiō, quī²² potest esse vīta « vītālis », ut ait Ennius²³, quæ nōn in amīcī mūtuā benevolentīā conquiēscit ?** Quid dulcius quam habēre quīcum omnia audeās sīc loquī ut tēcum ? Quī esset tantus frūctus in prosperīs rēbus, nisi habērēs quī illīs æquē ac tū ipse gauderet ? Adversās vērō ferre difficile esset sine eō quī illās, gravius etiam quam tū, ferret.

Sine amicitia
nōn esse
vītālem

Dēnique, cēteræ rēs quæ expetuntur opportunæ sunt singulæ rēbus ferē singulīs : dīvitiae, ut ūtāre, opēs, ut colāre, honōrēs, ut laudēre, voluptātēs, ut gaudeās, valētūdō, ut dolōre careās et mūneribus fungāre corporis ; amicitia rēs plūrimās continet. Quōquō tē verteris, præstō est, nūllō locō exclūditur, numquam intempestīva, numquam molesta est ; itaque nōn aquā, nōn ignī, ut aiunt, locīs plūribus ūtimur quam amicitia. Neque ego nunc dē vulgārī aut dē mediōcrī, quæ tamen ipsa et dēlectat et prōdest, sed dē vērā et perfectā loquor, quālis eōrum quī paucī nōminantur fuit. Nam et secundās rēs splendidiōrēs facit amicitia ; et adversās, partiēns communicānsque, leviōrēs.

21. Voir les notes des §§ 3, 4, 9 et 14.

22. « quī » adverbial = *quōmodo*.

23. **Quīntus Ennius** (239-169) : le « père » de la poésie latine ; auteur de tragédies, des *Annales*, qui raconte l'histoire romaine en hexamètres dactyliques épiques, et des *Saturæ*, réflexions morales et philosophiques.

[23] Cumque plūrimās et maximās commoditātēs amīcītia contineat, tum illa nīmīrum præstat omnibus, quod bonam spem prælūcet in posterum, nec dēbilitārī animōs aut cadere patitur. Vērūm enim amīcum quī intuētur, tamquam exemplar aliquod intuētur suī. Quōcircā et absentēs adsunt et egentēs abundant et imbēcillī valent et, quod difficilius dictū est, mortuī vīvunt; tantus eōs honōs, memoria, dēsīderium prōsequitur amīcōrum. Ex quō illōrum beāta mors vidētur, hōrum vīta laudābilis.

Cūr amīcītia
maximīs
commoditāti-
bus præstet

Quod sī exēmeris ex rērum nātūrā benevolentīæ conjūctiōnem, nec domus ūlla nec urbs stāre poterit, nē agrī quidem cultus permanēbit. Id sī minus intellegitur, quanta vīs amīcītiæ concordīæque sit, ex dissēnsiōnibus atque ex discordiīs percipī potest. Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma cīvītās est, quæ nōn odiīs et discidiīs funditus possit ēvertī? Ex quō quantum bonī sit in amīcītiā iūdicārī potest.

Omnīs hominēs cōnsentīre dē amīcītiæ excellentiā

[24] Agrigentīnum quidem doctum quendam virum²⁴, carminibus Græcīs vāticinātum, ferunt « quæ in rērum nātūrā tōtōque mundō cōnstārent, quæque movērentur, ea contrahere amīcītiā, dissipāre discordiā. » Atque hoc quidem omnēs mortālēs et intellegunt et rē probant. Itaque sī quandō aliquod officium exstitit amīcī in perīculīs aut adeundīs aut commūnicandīs, quis est quī id nōn maximīs efferat laudibus?

Omnīs
amīcītiā
laudāre

Quī clāmōrēs tōtā caveā nūper in hospitis et amīcī M. Pācuvī²⁵ novā fābulā, cum, ignōrante rēge uter Orestēs esset, Pyladēs Orestem sē esse dīceret, ut prō illō necārētur, Orestēs autem, ita ut erat, Orestem sē esse persevērāret! Stantēs plaudēbant in rē fictā; quid arbitrāmur in vērā factūrōs fuisse? Facile indicābat ipsa nātūra vim suam, cum hominēs, quod facere ipsī nōn possent, id rēctē fierī in alterō iūdicārent.

Spectātōrēs
plaudere
officiōsam
amīcītiā

24. Ἐμπεδοκλῆς Ἀκραγαντίνος (495-435) [Empédocle] : auteur d'un Περὶ Φύσεως (*La nature*) et des Καθαρμοί (*Purifications*). Il explique que les quatre éléments sont régis par l'Amour et par la Haine, principes de création et de destruction.

25. **Mārcus Pācuvius** (220-v. 130) : auteur de tragédies adaptées du grec, comme cet *Oreste*, ainsi que d'une *prætextā* probablement consacrée à Paul Emile. Il est « l'hôte » de Lélius parce qu'italien : en 129, il n'est pas citoyen romain.

Hāctenus mihi videor dē amīcitiā quid sentīrem potuisse dīcere ; sī quæ prætereā sunt — crēdō autem esse multa —, ab iīs, sī vidēbitur, quī ista disputant quæritōte.

LÆLIÏ ORATIŌ SECUNDA

—

DĒ AMĪCITIÆ ORTŪ

^[25] *Fannius* — Nōs autem ā tē potius ; quamquam etiam ab istīs sæpe quæsīvī et audīvī nōn invītus equidem ; sed aliud quoddam fīlum orātiōnis tuæ.

*Disserere dē
amīcitiā pergat
Lælius !*

Scævola — Tum magis id dīcerēs, Fannī, sī nūper in hortīs Scīpiōnis, cum est dē rē pūblicā disputātum, adfuissēs. Quālis tum patrōnus iūstitiæ fuit contrā accūrātam orātiōnem Philī !

Fannius — Facile id quidem fuit iūstitiam iūstissimō virō dēfendere.

Scævola — Quid ? amīcitiā nōne facile eī quī, ob eam summā fidē, cōnstantiā iūstitiāque servātā, maximam glōriam cēperit ?

^[26] *Lælius* — Vim hoc quidem est adferre. Quid enim rēfert quā mē ratiōne cōgātis ? Cōgitis certē. Studiīs enim generōrum, præsertim in rē bonā, cum difficile est, tum nē æquum quidem obsistere.

Dē amīcitiæ ūtilitāte

Sæpissimē igitur mihi dē amīcitiā cōgitantī, maximē illud cōnsīderandum vidērī solet : utrum propter imbēcillitātem atque inopiam dēsīderāta sit amīcitiā, ut, dandīs recipiendīsque meritīs, quod quisque minus per sē ipse posset, id acciperet ab aliō vicissimque redderet ? An esset hoc

*Nōn ad ūtilitā-
tibus amīcitiā
dēsīderātā sit*

quidem proprium amīcitiae, sed antīquior et pulchrior, et magis ā nātūrā ipsā prōfecta alia causa ?

Amor enim, ex quō amīcitia nōmināta est, prīnceps est ad benevolentiam conjungendam. Nam ūtilitātēs quidem etiam ab eīs percipiuntur sæpe quī simulātiōne amīcitiae coluntur, et observantur temporis causā ; in amīcitiā autem nihil fictum est, nihil simulātum et, quidquid est, id est vērū et voluntārium.

[27] Quāpropter ā nātūrā mihi vidētur, potius quam ab indigentiā, orta amīcitia, applicātiōne magis animī cum quōdam sēnsū amandī, quam cōgitātiōne quantum illa rēs ūtilitātis esset habitūra. Quod quidem quāle sit, etiam in bēstiīs quibusdam animadvertī potest : quæ ex sē nātōs ita amant ad quoddam tempus, et ab eīs ita amantur, ut facile earum sēnsus appāreat.

Quod in homine multō est ēvidentiū : prīmum ex eā cāritāte quæ est inter nātōs et parentēs, quæ dirimī nisi dētestābilī scelere nōn potest ; deinde cum similis sēnsus exstitit amōris, sī aliquem nactī sumus cūjus cum mōribus et nātūrā congruāmus, quod in eō quasi lūmen aliquod probitātis et virtūtis perspicere videāmur.

*Ā nātūrā ortam
esse amīcitiām*

De amīcitiae magnitūdine

[28] Nihil est enim virtūte amābilius, nihil quod magis adliciat ad dīligendum, quippe cum propter virtūtem et probitātem, etiam eōs quōs numquam vīdimus, quōdam modō dīligāmus.

Quis est quī C. Fabricī, M'. Curī²⁶ nōn cum cāritāte aliquā benevolā memoriā ūsurpet, quōs numquam vīderit ? Quis autem est, quī Tarquinium Superbum, quī Sp. Cassium²⁷, Sp. Mælium²⁸ nōn ōderit ? Cum duōbus ducibus dē imperiō in Italiā est dēcertātum : Pyrrhō²⁹ et Hannibale³⁰. Ab alterō propter probitātem ējus nōn nimis aliēnōs animōs habēmus, alterum propter crūdēlitātem semper hęc cīvitās ōderit.

*Virtūtem
amābilissimā,
etiam apud eōs
quōs numquam
vīderimus*

26. Cf. § 18.

[29] Quod sī tanta vīs probitātis est, ut eam vel in iīs quōs numquam vīdimus, vel, quod mājus est, in hoste etiam dīligāmus, quid mīrum est sī animī hominum moveantur, cum, eōrum quibuscum ūsū conjūctī esse possunt, virtūtem et bonitātem perspicere videantur? Quamquam cōfirmātur amor et beneficiō acceptō et studiō perspectō et cōsuētūdine adjūctā, quibus rēbus ad illum primum mōtum animī et amōris adhibitīs, admīrābilis quādam exārdēscit benevolentīæ magnitūdō.

Quōmodo
admirābilis
amicitiæ
magnitūdō sit

Quam sī quī putant ab imbēcillitāte proficīscī, ut sit per quem adsequātur quod quisque dēsīderet, humilem sānē relinquunt et minimē generōsum, ut ita dīcam, ortum amīcitīæ — quam ex inopiā atque indigentīā nātam volunt. Quod sī ita esset, ut quisque minimum esse in sē arbitrārētur, ita ad amīcitiam esset aptissimus ; quod longē secus est.

[30] Ut enim quisque sibi plūrimum cōnfīdit ; et ut quisque maximē virtūte et sapientiā sīc mūnītus est, ut nūllō egeat, suaque omnia in sē ipsō posita jūdicet : itā in amīcitiīs expetendīs colendīsque maximē excellit. Quid enim ? Africānus indigēns meī ? Minimē hercule ! Ac nē ego quidem illīus.

Vērum amīcum
nōn amīcī
indigēre

Sed ego admīrātiōne quādam virtūtis ējus, ille vicissim opīniōne fortasse nōn nūllā, quam dē meīs mōribus habēbat, mē dīlēxit ; auxit benevolentiam cōsuētūdō. Sed, quamquam ūtilitātēs multæ et magnæ cōnsecūtæ sunt, nōn sunt tamen ab earum spē causæ dīligendī prōfectæ.

[31] Ut enim beneficī līberālēsque sumus, nōn ut exigāmus grātiam (neque enim beneficium fānerāmur, sed nātūrā prōpēnsī ad līberālītātem

Amīcitiam per
sē expetendam

27. **Spurius Cassius Vecellinus** : en 502, consul, il défait les Sabins ; à nouveau consul en 493, il signe un traité avec les latins ; encore consul en 486, il proposa une loi agraire pour aider les plébéiens dans le besoin — les patriciens et les riches plébéiens obtinrent alors sa condamnation et son exécution. Ses descendants, plébéiens, comptent parmi les plus importants adversaires républicains de César et des Césariens au 1^{er} siècle.

28. **Spurius Mælius** : en 439, riche romain, il voulut distribuer à bas prix du blé aux pauvres. L. Minucius, préfet de l'annone, l'accusa de vouloir être roi. Convoqué devant *Lūcius Quīnctus Cincinnātus*, alors dictateur, il refusa de comparaître, et fut mis à mort par *Gāius Servīlius Ahāla*, maître de cavalerie du dictateur.

29. **Pyrrhus** guerroya en Italie entre 282 et 275.

30. La deuxième guerre punique, au cours de laquelle **Hannibal** s'illustra, s'étendit de 219 à 202.

sumus) : sīc amīcitiām, nōn spē mercēdis adductī, sed quod omnis ējus frūctus in ipsō amōre īnest, expetendam putāmus.

Amīcitiās sempiternās nātūrā gignī

[32] Ab hīs quī, pecudum rītū, ad voluptātem omnia referunt, longē dissentiunt. Nec mīrum : nihil enim altum, nihil magnificum ac dīvīnum suspicere possunt, quī suās omnēs cōgitātiōnēs abjēcerunt in rem tam humilem tamque contemptam. Quam ob rem hōs quidem ab hōc sermōne removeāmus ; ipsī autem intellegāmus nātūrā gignī sēnsū dīligendī et benevolentīe cāritātem, factā sīgnificātiōne probitātis.

*Epicureōs ab
hōc sermōne
removeādōs*

Quam quī adpetīverunt, applicant sē et propius admovent, ut et ūsū ējus quem dīligere cōperunt fruantur, et mōribus. Sintque parēs in amōre et æquālēs, prōpēnsiōrēsque ad bene merendum quam ad repōscendum ; atque hęc inter eōs sit honesta certātiō. Sīc et ūtilitātēs ex amīcitiā maximā capientur, et erit ējus ortus ā nātūrā quam ab imbēcillitāte gravior et vērior.

*Amīcitiā
ortum ā nātūrā
vēriōrem esse*

Nam sī ūtilitās amīcitiās conglutināret, eadem commūtāta dissolveret ; sed quia nātūra mūtārī nōn potest, idcirco vēræ amīcitiæ sempiternæ sunt. Ortum quidem amīcitiæ vidētis, nisi quid ad hęc forte vultis.

*Cūr vēræ
amīcitiæ
sempiternæ
sint*

Fannius — Tū vērō perge, Læli ; prō hōc enim, quī minor est nātū, meō jūre respondeō.

LÆLIŪ ŌRĀTIŌ TERTIA

—

QUÆ VĒRA AMĪCITIA EXIGAT

[33] *Scævola* — Rēctē tū quidem. Quam ob rem audiāmus.

Lælius — Audīte vērō, optimī virī, ea quæ sæpissimē inter mē et Scīpiōnem dē amīcitiā disserēbantur. Quamquam ille quidem « nihil difficilius esse, dīcēbat, quam amīcitiā ūsque ad extrēmum vītæ diem permanēre. Nam vel ut nōn idem expedīret incidere sæpe, vel ut dē rē pūblicā nōn idem sentīrētur. Mūtārī etiam mōrēs hominum sæpe, dīcēbat, aliās adversīs rēbus, aliās ætāte ingravēscēte. » Atque earum rērum exemplum, ex similitūdine capiēbat ineuntis ætātis, « quod summī puerōrum amōrēs sæpe ūnā cum prætextā togā pōnerentur. »

*Nihil difficilius
esse quam
amīcitiā
permanēre*

[34] « Sīn autem ad adulēscēntiam perdūxissent, dirimī tamen interdum contentiōne, vel uxōriæ condiōnis vel commodī alicūjus, quod idem adipīscī uterque nōn posset. Quod sī quī longius in amīcitiā prōvectī essent, tamen sæpe labefactārī, sī in honōris contentiōnem incidissent : pestem enim nūllam mājōrem esse amīcitiīs quam in plērīsque pecūniæ cupiditātem, in optimīs quibusque honōris certāmen et glōriæ. Ex quō inimīcitiās maximās sæpe inter amīcissimōs exstitisse.

*Cūr amīcitiæ
labefactantur*

[35] « Magna etiam discidia et plērumque jūsta nāscī, cum aliquid ab amīcīs quod rēctum nōn esset postulārētur — ut aut libīdinis ministrī aut adjūtōrēs essent ad injūriam. Quod quī recūsārent, quamvīs honestē id facerent, jūs tamen amīcitiæ dēserere arguerentur ab iīs quibus obsequī nōllent ; illōs autem quī quidvīs ab amīcō audērent postulāre, postulātiōne ipsā profitērī omnia sē amīcī causā esse factūrōs. Eōrum querellā, inveterātās nōn modo familiāritātēs exstinguī solēre, sed odia etiam gignī sempiterna. Hæc ita multa, quasi fāta, impendere amīcitiīs ut omnia subterfugere nōn modo sapientiæ sed etiam fēlīcitatīs, » dīceret sibi vidērī.

*Cum aliquid ab
amīcīs quod
rēctum nōn sit
postulētur*

Quātenus amor in amīcitiā prōgredī dēbeat

« NEQUE ROGĒMUS RĒS TURPĒS NEC FACIĀMUS ROGĀTĪ »

[36] Quam ob rem id primum videāmus, sī placet, quātenus amor in amīcitiā prōgredī dēbeat. Numne, sī Coriolānus³¹ habuit amīcōs, ferre contrā patriam arma illī cum Coriolānō dēbuerunt ? num Vecellinum³² amīcī rēgnum adpetentem, num Mælium dēbuerunt iuvāre ?

[37] Ti. quidem Gracchum³³ rem pūblicam vexantem ā Q. Tūberōne³⁴ æquālibusque amīcīs dērelictum vidēbāmus. At C. Blossius Cūmānus³⁵, hospes familiæ vestræ, Scævola, cum ad mē, quod aderam Lænātī et Rupiliō³⁶ cōsulibus in cōsiliō, dēprecātum vēnisset, hanc ut sibi ignōscerem causam adferēbat : quod tantī Ti. Gracchum fēcisset ut, quidquid ille vellet, sibi faciendum putāret. Tum ego : « Etiamne, sī tē in Capitōlium facēs ferre vellet ? — Numquam, inquit, voluisset id quidem ; sed sī voluisset, pāruissem. »

*Sī amīcī causā
peccāveris*

31. **Gnæus** ou **Gāius Marcius Coriolānus** [Coriolan] : vainqueur des Volsques à Corioles en 493 ; en 491, comme il recommandait que la plèbe renonçât à ses tribuns pour obtenir une part du blé sicilien, il fut exilé. Il rejoignit les Volsques et porta les armes contre sa patrie ; seules les larmes de sa mère *Veturia* et de sa femme *Volumnia* purent le fléchir.

32. **Vecellinus** et **Mælius** : Cf. § 28.

33. **Tiberius Sempronius Gracchus** (164-133) : l'aîné des Gracques, fils de Cornelia, elle-même fille de Scipion l'Africain (*Pūblius Cornelius Scipiō « Āfricānus Māior »*), et de Tiberius Sempronius Gracchus — qui soumit les Celtibères et amena ainsi la paix pendant une génération, et fut un censeur austère et respecté. Questeur du consul Mancinus en Espagne, il négocia une paix que le Sénat poussé par Scipion Emilien, rejeta.

Elu tribun en 133, soutenu par son beau-père Appius Claudius, et par une minorité du Sénat, en l'absence de Scipion, il fit voter une loi agraire favorable aux citoyens les plus pauvres, d'une façon pas tout à fait régulière. Quand il proposa qu'on se servit des biens légués à Rome par le roi de Pergame, Attale III, passant outre une nécessaire consultation du Sénat, et qu'il chercha à se faire réélire, le Sénat considéra qu'il aspirait à la royauté. Scipion Nasica (voir § 41), à la tête d'une foule de sénateurs et de leurs clients, montés sur le Capitole, tua Tiberius avec nombre de ses partisans.

34. **Quīntus Ælius Tūberō** : neveu de Scipion Emilien, tribun en 129 et adversaire des Gracques.

35. **Gāius Blossius « Cūmānus »** : philosophe originaire de Cumes — c'est pourquoi il est l'hôte de Scævola ; se suicida en 130.

36. **Pūblius Popillius Lænās** et **Pūblius Rupilius** : consuls en 132, élus avec le soutien de Scipion Emilien.

Vidētis, quam nefāria vōx ! Et hercule ita fēcit vel plūs etiam quam dīxit ; nōn enim pārui ille Ti. Gracchī temeritatī sed præfūit, nec sē comitem illīus furōris, sed ducem præbuit. Itaque hāc āmentīā, quæstiōne novā perterritus, in Asiam profūgit, ad hostēs sē contulit, pœnās reī pūblicæ gravēs jūstāsque persolvit. Nūlla est igitur excūsatiō peccātī, sī amīcī causā peccāveris ; nam cum conciliātrīx amīcitiæ virtūtis opīniō fuerit, difficile est amīcitiā manēre, sī ā virtūte dēfēceris.

[38] Quod sī rēctum statuerimus vel concēdere amīcīs quidquid velint, vel impetrāre ab iīs quidquid velīmus, perfectā quidem sapientiā simus sī nihil habeat rēs vitīi. Sed loquimur dē iīs amīcīs quī ante oculōs sunt, quōs vīdimus, aut dē quibus memoriā accēpimus : quōs nōvit vīta commūnis. Ex hōc numerō nōbīs exempla sūmenda sunt, et eōrum quidem maximē quī ad sapientiam proximē accēdunt.

*Quæ exempla
sumenda sint*

[39] Vidēmus Pāpum Æmiliū³⁷ Luscīnō familiārem fuisse (sīc ā patribus accēpimus), bis ūnā cōsulēs, collēgās in cēnsūrā ; tum et cum iīs et inter sē conjūctissimōs fuisse M'. Curium, Ti. Coruncānium memoriæ prōditum est. Igitur nē suspicārī quidem possumus quemquam hōrum ab amīcō quippiam contendisse, quod contrā fidem, contrā jūs jūrandum, contrā rem pūblicam esset.

Nam hoc quidem in tālibus virīs quid attinet dīcere « sī contendisset, impetrātūrum nōn fuisse » cum illī sāctissimī virī fuerint, æquē autem nefās sit tāle aliquid et facere rogātum et rogāre ? At vērō Ti. Gracchum sequēbantur C. Carbō³⁸, C. Catō³⁹, et minimē tum quidem C. frāter⁴⁰, nunc idem ācerrimus.

[40] Hæc igitur lēx in amīcitiā sanciatū, ut neque rogēmus rēs turpēs nec faciāmus rogātī. Turpis enim excūsatiō est et minimē accipiēda cum in cēterīs peccātīs, tum sī quis contrā rem pūblicam sē amīcī causā fēcisse

*Quæ lēx in
amīcitiā
sancienda sit*

37. **Quīntus Æmilius Pāpus** : consul en 282 et 278, censeur en 275 ; vainqueur des Samnites en 281. Pour *Luscīnus*, *M'. Curius* et *Ti. Coruncānius*, cf. § 18.

38. **Gāius Papīrius Carbō** : tribun en 131, il essaya de poursuivre la politique agraire de Tiberius Gracchus : il voulut instituer le scrutin secret pour les lois proposées aux comices et permettre la réélection des tribuns de la plèbe. En 130, il fut membre de la commission agraire ; fut soupçonné en 129 d'être responsable de la mort de Scipion ; se rallia en 122 au Sénat en devint consul en 120 ; cependant, poursuivi en 119 par Lūcius Licinius Crassus, « l'orateur », pour son soutien aux Gracques, il se suicida.

39. **Gāius Porcius Catō** : petit-fils du censeur et de Paul Emile. Consul en 114, condamné en 109 pour corruption au profit de Jugurtha.

fateātur. Etenim eō locō, Fannī et Scævola, locātī sumus ut nōs longē prōs-picere oporteat futūrōs cāsūs reī pūblicæ. Dēflexit jam aliquantum dē spatiō curriculōque cōnsuētūdō mājōrum.

[41] Ti. Gracchus rēgnum occupāre cōnātus est ; vel rēgnāvit is quidem paucōs mēnsēs. Numquid simile populus Rōmānus audierat aut vīderat ? Hunc etiam post mortem secūtī amīcī et propinquī, quid in P. Scīpiōne⁴¹ effēcerint, sine lacrimīs nōn queō dīcere. Nam Carbōnem, quōcumque modō potuimus, propter recentem pœnam Ti. Gracchī sustinuimus ; dē C. Gracchī autem tribūnātū quid expectem, nōn libet augurārī.

*Dē futūrīs
cāsibus
reī pūblicæ*

Serpiit deinde rēs quæ prōclīvis ad perniciem, cum semel cœpit, lābitur. Vidētis in tabellā jam ante : quanta sit facta lābēs, prīmō Gabīniā lēge⁴², bienniō autem post Cassiā. Vidēre jam videor populum ā senātū disjūnc-tum, multitudinis arbītriō rēs maximās agī. Plūrēs enim discent quem ad modum hęc fiant, quam quem ad modum iīs resistātur.

[42] Quōrsum hęc ? Quia sine sociīs nēmō quicquam tāle cōnātur. Præci-piendum est igitur bonīs ut : sī in ējus modī amīcitiās īgnārī, cāsū aliquō, inciderint, nē exīstiment ita sē alligātōs ut ab amīcīs, in magnā aliquā rē pūblicā peccantibus, nōn discēdant. Improbīs autem pœna statuenda est, nec vērō minor iīs quī secūtī erunt alterum, quam iīs quī ipsī fuerint impietātis ducēs. Quis clārīor in Græciā Themistocle⁴³, quis potentior ? Quī,

*Quid accidat
cum improbī
adjūtōrem
inveniant
neminem*

40. **Gāius Sempronius Gracchus** (164- 121) : le second des Gracques (Cf. § 37), tribun en 123 et 122, il fit voter des lois populaires (loi agraire, loi garantissant la vente du blé à des prix modérés et stables, lois favorables aux vétérans) et des lois défavorables aux sénateurs, et favorables aux plus riches d'entre les chevaliers. Il proposa en 122 d'étendre le droit de cité à tous les Latins, et le droit latin aux Italiens, ce qui lui perdit le soutien populaire. Il ne réussit pas à obtenir sa réélection pour 121, et sous la pression d'un *senātūs-cōnsultum ultimum*, isolé, il se fit donner la mort par l'un de ses esclaves.

41. **Pūblius Cornelius Scipiō Nāsīca « Serāpiō »** (v. 183-132) : Grand pontife depuis 141, consul en 138, meurtrier de Tibérius Gracchus en 133 ; attaqué par les partisans de ce dernier, il fut envoyé par le Sénat à Pergame où il mourut.

42. **Aulus Gabinius**, tribun en 139, fit voter une loi qui instituait le vote à bulletins secrets pour les élections. **Lūcius Cassius Longīnus Ravilla**, tribun en 137, étendit le vote secret aux tribunaux. Juge éminent, il serait à l'origine de la formule *Cuī bonō* (« À qui profite le crime ? »). **Gājus Papīrius Carbō** (§ 39) y ajouta le secret dans le vote des lois proposées aux comices.

43. **Θεμιστοκλῆς** (524-459) : en 480, stratège, il remporta sur Xerxès la victoire de Salamine. Il fut plus tard, en 471, ostracisé et se retira à Argos. En 468, il fut accusé de collusion avec les Perses, et, condamné à mort, il se réfugia auprès d'Artaxerxès, qui le combla d'honneurs (Cf. Thucydide, Ἱστορία τοῦ Πελοποννησιακοῦ Πολέμου, I, 138 ; Plutarque, Βίοι Παράλληλοι).

cum imperātor bellō Persicō servitūte Græciam liberāvisset, propterque invidiam in exilium expulsus esset, ingrātæ patriæ injūriam nōn tulit, quam ferre dēbuit, fēcit idem quod, XX annīs ante, apud nōs fēcerat Coriolānus. Hīs adjūtor contrā patriam inventus est nēmō ; itaque mortem sibi uterque cōnscīvit.

[43] Quārē tālis improbōrum cōnsēsiō nōn modo excūsatiōne amīcitiæ tegenda nōn est, sed potius suppliciō omnī vindicanda est, ut nē quis concessum putet amīcum vel bellum patriæ īnferentem sequī. Quod quidem, ut rēs īre cœpit, haud sciō an aliquando futūrum sit. Mihi autem nōn minōrī cūræ est, quālis rēs pūblica post mortem meam futūra, quam quālis hodiē sit.

*Excūsatiōne
amīcitiæ
scelera
nōn tegenda*

[44] Hæc igitur prīma lēx amīcitiæ sanciatū : ut ab amīcīs honesta petāmus, amīcōrum causā honesta faciāmus ; nē expectēmus quidem dum rogēmur ; studium semper adsit, cūctātiō absit ; cōnsilium vērō dare audeāmus liberē. Plūrimum in amīcitiā amīcōrum bene suādentium valeat auctōritās ; eaque et adhibeātur ad monendum nōn modo apertē sed etiam ācriter, sī rēs postulābit, et adhibitæ pāreātur.

*Quæ sit etiam
prīma lēx
amīcitiæ*

UTRUM ŪTILITĀS AN AMĪCITIA PRĪNCEPS SIT

[45] Nam quibusdam, quōs audiō sapientēs habitōs in Græciā, placuisse opīnor mīrabilia quædam — sed nihil est quod illī nōn persequantur argūtiīs... partim⁴⁴ : « fugiendās esse nimiās amīcitiās, nē necesse sit ūnum sollicitum esse prō plūribus ; satis superque esse sibi suārum cuique rērum, aliēnīs nimis implicārī molestum esse ; commodissimum esse quam laxissimās habēnās habēre amīcitiæ, quās vel addūcās cum velīs, vel remittās ; caput enim esse ad beātē vīvendum sēcūritātem, quā fruī nōn possit animus, sī tamquam parturiant ūnus prō plūribus. »

*Quæ mīrabilia
quibusdam
placuisse*

[46] Aliōs⁴⁵ autem dīcere āiunt multō etiam inhūmānius — quem locum breviter paulō ante perstrīnxī : « præsidiī adjūmentīque causā, nōn benevolentīæ neque cāritātis, amīcitiās esse expetendās ; itaque, ut quisque

44. On peut penser que sont visés ici les Stoïciens.

45. Il s'agit « des » Épicuriens.

minimum firmitātis habēret minimumque vīrium, ita amīcitiās appetere maximē; ex eō fierī ut mulierculæ magis amīcitiārum præsidia quærant quam virī, et inopēs quam opulentī, et calamitōsī quam iī quī putentur beātī. »

[47] Ō præclāram sapientiam ! Sōlem enim ē mundō tollere videntur, quī amīcitiā ē vītā tollunt, quā nihil ā dīs immortalibus melius habēmus, nihil jūcundius. Quæ est enim ista sēcūritās, speciē quidem blanda, sed reāpse multīs locīs repudianda ? Neque enim est cōsentāneum ūllam honestam rem āctiōnemve nē sollicitus sīs aut nōn suscipere, aut susceptam dēpōnere.

*Virtūtem esse
cum aliquā
cūrā*

Quod sī cūrā fugimus, virtūs fugienda est, quæ necesse est⁴⁶, cum aliquā cūrā, rēs sibi contrāriās aspernētur atque ōderit — ut bonitās malitiam, temperantia libīdinem, īgnāviā fortitūdō. Itaque videās rēbus injūstīs jūstōs maximē dolēre, imbellibus fortēs, flāgitiōsīs modestōs. Ergō hoc proprium est animī bene cōstitutī : et lætārī bonīs rēbus et dolēre contrāriīs.

[48] Quam ob rem sī cadit in sapientem animī dolor — quī profectō cadit, nisi ex ējus animō exstirpātā hūmānitātem arbitrāmur —, quæ causa est cūr amīcitiā funditus tollāmus ē vītā, nē aliquās propter eam suscipiāmus molestiās ? **Quid enim interest, mōtū animī sublātō, nōn dīcō inter pecudem et hominem, sed inter hominem et truncum aut saxum aut quidvīs generis ējusdem ?**

*Dē angōre istā
prō amīcō
capiendā*

Neque enim sunt istī audiendī quī virtūtem dūram et quasi ferream esse quandam volunt : quæ quidem est cum multīs in rēbus, tum in amīcitiā tenera atque tractābilis, ut et bonīs amīcī quasi diffundātur, et incommodīs contrahātur. Quam ob rem angor iste, quī prō amīcō sæpe capiendus est, nōn tantum valet ut tollat ē vītā amīcitiā, nōn plūs quam ut virtūtēs, quia nōn nūllās cūrās et molestiās adferunt, repudientur.

Cum autem contrahat amīcitiā, ut suprā dīxī, sī⁴⁷ qua sīgnificātiō virtūtis ēlūceat, ad quam sē similis animus applicet et adjungat, id cum contigit, amor exoriātur necesse est.

46. *necesse est* + subjonctif seul.

47. La subordonnée conjonctive introduite par *sī* est ici sujet de « *contrahat* ».

[49] Quid enim tam absurdum quam dēlectārī multīs inanimīs rēbus, ut honōre, ut glōriā, ut ædificiō, ut vestītū cultūque corporis — animante virtūte præditō, eō quī vel amāre vel, ut ita dīcam, « redamāre » possit, nōn admodum dēlectārī? Nihil est enim remūnerātiōne benevolentiae, nihil vicissitudīne studiōrum officiōrumque jūcundius.

*Animante qui
« redamāre »
possit
dēlectandum
esse*

[50] Quid? Sī illud etiam addimus quod rēctē addī potest — nihil esse quod ad sē rem ūllam tam alliciat et attrahat, quam ad amīcitiā similitūdō, concēdētur profectō vērū esse ut bonōs bonī dīligant adscāscantque sibi, quasi propinquitāte conjūctōs atque nātūrā : nihil est enim appetentius similium suī, nec rapācius quam nātūra.

*Quamdam
benevolentiam
nātūrālem esse*

Quam ob rem hoc quidem, Fannī et Scævola, cōnstat, ut opīnor : bonīs inter bonōs quasi necessāriam benevolentiam, quī est amīcitiæ fōns ā nātūrā cōstitutus. Sed eadem bonitās etiam ad multitudīnem pertinet. Nōn enim est inhūmāna virtūs neque immūnis neque superba, quæ etiam populōs ūniversōs tuērī, iisque optimē cōnsulere soleat ; quod nōn faceret profectō, sī ā cāritāte vulgī abhorreret.

[51] Atque etiam mihi quidem videntur, quī ūtilitātum causā fingunt, amīcitiās amābilissimum nōdum amīcitiæ tollere. Nōn enim tam ūtilitās parta per amīcum quam amīcī amor ipse dēlectat ; tumque illud fit quod ab amīcō est prōfectum jūcundum, sī cum studiō est prōfectum ; tantumque abest ut amīcitiæ propter indigentiam colantur, ut iī quī opibus et cōpiīs maximēque virtūte — in quā plūrimum est præsidī — minimē alterīus indigeant, līberāllissimī sint et beneficentissimī.

*Quōmodō
ūtilitās amīci-
tiam sequātur*

Atque haud sciam an nē opus sit quidem nihil umquam omnīnō deesse amīcīs. Ubi enim studia nostra viguissent, sī numquam cōnsiliō, numquam operā nostrā, nec domī nec mīlitiae, Scīpiō eguisset? Nōn igitur ūtilitātem amīcitiā, sed ūtilitās amīcitiā secūta est.

[52] Nōn ergō erunt hominēs dēliciīs diffluentēs audiendī, sī quandō dē amīcitiā, quam nec ūsū nec ratiōne habent cōgnitam, disputābunt. Nam quis est — prō deōrum fidem atque hominum ! — quī velit, ut neque dīligat quemquam, nec ipse ab ūllō dīligātur, circumfluere omnibus cōpiīs, atque in omnium rērum abundantīā vīvere? Hæc enim est tyrannōrum vīta nīmīrum, in quā nūllā fidēs, nūlla cāritās, nūlla stabilis benevolentiae potest esse fidūcia : omnia semper suspecta atque sollicita, nūllus locus amīcitiæ.

*Dē tyrannōrum
vītā*

[53] Quis enim aut eum dīligat quem metuat, aut eum ā quō sē metuī putet? Coluntur tamen, simulātiōne dumtaxat ad tempus. Quod sī forte, ut fit plērumque, ceciderunt, tum intellegitur quam fuerint inopēs amīcōrum. Quod Tarquinius dīxisse ferunt « tum exsulantem sē intellexisse quōs fīdōs amīcōs habuisset, quōs īnfīdōs, cum jam neutrīs grātiam referre posset. »

[54] Quamquam mīror illā superbiā et importūnitāte, sī quemquam amīcum habēre potuit. Atque ut hūjus, quem dīxī, mōrēs vērōs amīcōs parāre nōn potuerunt, sīc multōrum opēs præpotentium exclūdunt amīcitiās fidēlēs. Nōn enim solum ipsa Fortūna cæca est, sed eōs etiam plērumque efficit cæcōs quōs complexa est; itaque efferuntur ferē fastīdiō et contumāciā — nec quicquam īnsipiente fortūnātō intolerābilius fierī potest! Atque hoc quidem vidēre licet: eōs quī anteā commodīs fuerint mōribus, imperiō, potestāte, prosperīs rēbus immūtārī; spernī ab iīs veterēs amīcitiās, indulgērī novīs.

*Dē īnsipiente
fortūnātō*

[55] Quid autem stultius quam, cum plūrimum cōpiīs facultātibus opibus possint, cētera parāre quæ parantur pecūniā — equōs, famulōs, vestem ēgregiam, vāsa pretiōsa — amīcōs nōn parāre, optimam et pulcherrimam vītā, ut ita dīcam, supellectilem? Etenim cētera cum parant, cui parent nesciunt, nec cūjus causā labōrent.

*Quæ opibus
parāre possint*

Ējus enim est istōrum quidque, quī vīcit vīribus; amīcitiārum sua cuique permanet stabilis et certa possessiō — ut, etiamsī illa maneant quæ sunt quasi dōna Fortūnæ, tamen vīta, inculta et dēserta ab amīcīs, nōn possit esse jūcunda. Sed hæc hāctenus.

NUM IN QUIBUSDAM RĒBUS AMĪCITIA PARITER RESPONDERE DĒBEAT

[56] Cōstituendī autem sunt quī sint in amīcitiā fīnēs et quasi terminī dīligendī. Dē quibus trēs videō sententiās ferrī, quārum nūllam probō: ūnam, ut eōdem modō ergā amīcum adfectī sīmus, quō ergā nōsmet ipsōs; alteram, ut nostra in amīcōs benevolentia illōrum ergā nōs benevolentiae pariter æquāliterque respondeat; tertiam, ut quantī quisque sē ipse facit, tantī fiat ab amīcīs.

*Trēs falsās
sententiās ferrī*

[57] Hārum trium sentiārum nūllī prōrsus assentior. Nec enim illa prīma vĕra est : ut, quem ad modum in sē quisque sit, sīc in amīcum sit animātus. Quam multa enim, quæ nostrā causā numquam facerēmus, facimus causā amīcōrum !

*Quæ
possimus causā
amīcōrum
facere*

Precārī ab indignō, supplicāre, tum acerbius in aliquem invehī, īnsectārīque vehementius, quæ in nostrīs rēbus nōn satis honestē, in amīcōrum fiunt honestissimē : multæque rēs sunt in quibus dē suīs commodīs virī bonī multa dētrahunt, dētrahīque patiuntur, ut iīs amīcī potius quam ipsī fruantur.

[58] Altera sententia est quæ dēfīnit amīcitiam paribus officiīs ac voluntātibus. Hoc quidem est nimis exiguē et exīliter ad calculōs vocāre amīcitiam, ut pār sit ratiō acceptōrum et datōrum. Dīvitior mihi et affluentior vidētur esse vĕra amīcitia, nec observāre restrictē nē plūs reddat quam accēperit. Neque enim verendum est nē quid excidat, aut nē quid in terram dēfluat, aut nē plūs æquō quid in amīcitiam congerātur.

*Paria officia
amīcitiam nōn
exigere*

[59] Tertius vērō ille fīnis deterrimus : ut, quantī quisque sē ipse faciat, tantī fiat ab amīcīs. Sæpe enim in quibusdam aut animus abjectior est, aut spēs amplificandæ fortunæ frāctior. Nōn est igitur amīcī tālem esse in eum quālis ille in sē est, sed potius ēnītī et efficere ut amīcī jacentem animum excitet, indūcatque in spem cōgitātiōnemque meliōrem. Alius igitur fīnis vĕræ amīcitiae cōstituendus est — sī prius quid maximē reprehendere Scīpiō solitus sit dīxerō.

*Amīcum
nōn tantī
faciendum ab
amīcīs quantī
sē ipse faciat*

Negābat « ūllam vōcem inimīciōrem amīcitiae potuisse reperīrī quam ējus quī dīxisset “ita amāre oportēre, ut sī aliquando esset ōsūrus.” Nec vērō sē addūcī posse, ut hoc — quem ad modum putārētur —, ā Biante esse dictum crēderet, quī sapiēns habitus esset ūnus ē septem ; impūrī cūjusdam aut ambitīōsī aut omnia ad suam potentiam revocantis esse sententiam. »

*Utrum ita
amāre oporteat
ut sī aliquando
esset ōsūrus*

Quōnam enim modō quisquam amīcus esse poterit eī cui sē putābit inimīcum esse posse ? Quīn etiam necesse erit cupere et optāre ut quam sæpissimē peccet amīcus, quō plūrēs det sibi tamquam ānsās ad reprehendendum. Rūrsum autem rēctē factīs commodisque amīcōrum, necesse erit angī, dolēre, invidēre. »

[60] Quārē hoc quidem præceptum, cūjuscumque est, ad tollendam amīcitiam valet. Illud potius præcipiendum fuit : ut eam dīligentiam

adhibērēmus in amīcitiīs comparandīs, ut nē quandō amāre inciperēmus eum quem aliquando ōdisse possēmus. Quīn etiam, sī minus fēlīcēs in dīligendō fuissēmus, ferendum id Scīpiō, potius quam inimīcitiārum tempus cōgitandum, putābat.

[61] Hīs igitur fīnibus ūtendum arbitror : ut, cum ēmendātī mōrēs amīcōrum sint, tum sit inter eōs omnium rērum cōnsiliōrum voluntātum, sine ūllā exceptiōne, communitās ; ut, etiamsī quā fortūnā accīderit ut minus jūstæ amīcōrum voluntātēs adjuvandæ sint in quibus eōrum aut caput agātur aut fāma, dēclīnandum dē viā sit, modo nē summa turpitūdō sequatur : est enim quātenus amīcitiæ darī venia possit.

*Quibus rēbus
ūtendum sit*

Nec vērō neglegenda est fāma, nec mediōcre tēlum ad rēs gerendās exīstimāre oportet benevolentiam cīvium. Quam blanditiīs et assentandō colligere turpe est ; virtūs quam sequitur cāritās minimē repudianda est.

In amīcitiā dīligentissimum oportere esse

[62] Sed — sæpe enim redeō ad Scīpiōnem, cūjus omnīs sermō erat dē amīcitiā — querēbātur, quod « omnibus in rēbus hominēs dīligentiōrēs essent : caprās et ovēs quot quisque habēret, dīcere posse ; amīcōs quot habēret, nōn posse dīcere. Et in illīs quidem parandīs adhibēre cūram ; in amīcīs ēligendīs neglegentīs esse, nec habēre quasi sīgna quædam et notās, quibus eōs quī ad amīcitiās essent idōneī jūdicārent. »

*Difficile esse
amīcōs ēligere*

Sunt igitur firmī et stabilēs et cōstantēs ēligendī ; cūjus generis est magna pēnūria. Et jūdicāre difficile est sānē nisi expertum ; experiendum autem est in ipsā amīcitiā. Ita præcurrit amīcitiā jūdicium, tollitque experiendī potestātem.

QUĀLĒS AMĪCITIÆ STĀBILĒS SINT

[63] Est igitur prūdentis sustinēre, ut currum, sīc impetum benevolentiae — quō ūtāmur, quasi equīs temptātīs, sīc amīcitiā, ex aliquā parte perīclitātīs mōribus amīcōrum. Quīdam sæpe in parvā pecūniā perspiciun-

*Quibus modīs
amīcitiæ
temptārī
possint*

tur quam sint levēs ; quīdam autem, quōs parva movēre nōn potuit, cōgnōscuntur in magnā.

Sīn vērō erunt aliquī repertī quī pecūniam præferre amīcitiæ sordidum exīstiment, ubi eōs inveniēmus quī honōrēs, magistrātūs, imperia, potestātēs, opēs amīcitiæ nōn antepōnant ? ut, cum ex alterā parte prōposita hæc sint, ex alterā jūs amīcitiæ, nōn multō illa mālint ? Imbēcilla enim est nātūra ad contemnendam potentiam. Quam etiamsī neglētā amīcitiā cōsecūtī sint, obscurātum irī arbitrantur — quia nōn sine magnā causā sit neglētā amīcitiā.

[64] Itaque vēræ amīcitiæ difficillimē reperiuntur in iīs quī in honōribus rēque pūblicā versantur : ubi enim istum inveniās quī honōrem amīcī antepōnat suō ? Quid ? hæc ut omittam, quam gravēs, quam difficilēs plērīsq̄ue videntur calamitātum societātēs ! ad quās nōn est facile inventū quī dēscendant.

*Ubi amīcus
certus cernitur*

Quamquam Ennius rēctē : « *Amīcus certus in rē incertā cernitur*⁴⁸ », tamen hæc duo levitātis et infirmitātis plērōsq̄ue convincunt : aut sī in bonīs rēbus contemnunt, aut in malīs dēserunt. Quī igitur utrāque in rē gravem, cōstantem, stabilem sē in amīcitiā præstiterit, hunc ex maximē rarō genere hominum jūdicāre dēbēmus — et pæne dīvīnō.

[65] Firmāmentum autem stabilitātis cōstantiæque ējus quam in amīcitiā quærimus fidēs est : nihil est enim stabile quod infīdum est. Simplicem prætereā et commūnem et cōnsentientem, id est quī rēbus īsdem moveātur, ēligī pār est. Quæ omnia pertinent ad fidēlitātem : neque enim fīdum potest esse multiplex ingenium et tortuōsum ; neque vērō, quī nōn īsdem rēbus movētur nātūrāque cōnsentit, aut fīdus aut stabilis potest esse. Addendum eōdem est : ut nē crīminibus aut inferendīs dēlectētur, aut crēdat oblātīs. Quæ pertinent omnia ad eam, quam jamdūdum tractō, cōstantiam.

*Quam
necessāria
sit fidēs
in amīcitiā*

Ita fit vērū illud, quod initiō dīxī : amīcitiā nisi inter bonōs esse nōn posse. Est enim bonī virī, quem eundem sapientem licet dīcere, hæc duo tenēre in amīcitiā : prīmum, nē quid fictum sit nēve simulātum — apertē enim vel ōdisse magis ingenuī est quam fronte occultāre sententiam. Deinde, nōn solum ab aliquō allātās crīminātiōnēs repellere, sed nē ipsum

48. Iambique sénair : « *Amīcus certus in rē incertā cernitur* » — pour **Ennius**, voir le § 22.

quidem esse suspīciōsum, semper aliquid exīstimantem ab amīcō esse violātum.

[66] Accēdat hūc suāvitās quædam oportet sermōnum atque mōrum, haudquāquam mediōcre condīmentum amīcitiæ. Trīstitia autem et in omnī rē sevērītās habet, illa quidem, gravitātem ; sed amīcitia remissior esse dēbet, et līberior et dulcior, et ad omnem cōmitātem facilitātemque prōclīvior.

*Suāvitātem
quādam
amīcō
quoque sit*

[67] Exsistit autem hōc locō quædam quæstiō subdifficilis : num quandō amīcī novī, dīgnī amīcitiā, veteribus sint antepōnendī, ut equīs vetulīs tenerōs antepōnere solēmus. Indigna homine dubitātiō ! Nōn enim dēbent esse amīcitiārum sicut aliārum rērum satietātēs ; veterrima quæque, ut ea vīna, quæ vetustātem ferunt, esse dēbet suāvissima. Vērūmque illud est, quod dīcitur : « multōs modiōs salis simul edendōs esse, ut amīcitiæ mūnus explētum sit. »

*Veterrimās
amīcitiās
suāvissimās*

[68] Novitātēs autem sī spem adferunt, ut tamquam in herbīs, nōn fallācibus frūctus appāreat, nōn sunt illæ quidem repudiandæ. Vetustās tamen suō locō cōservanda : maxima est enim vīs vetustātis et cōsuētūdinis. Quīn in ipsō equō, cūjus modo fēcī mentiōnem, sī nūlla rēs impediāt, nēmō est quīn eō quō cōsuēvit libentius ūtātur, quam intractātō et novō. Nec vērō in hōc quod est animal, sed in iīs etiam quæ sunt inanima, cōsuētūdō valet, cum locīs ipsīs dēlectēmur, montuōsīs etiam et silvestribus, in quibus diūtius commorātī sumus.

*Quanta vīs
vetustātis sit*

DĒ DISPARIBUS AMĪCITIIS

[69] Sed maximum est in amīcitiā parem esse īnferiōrī. Sæpe enim excellentiæ quædam sunt, quālis erat Scīpiōnis in nostrō, ut ita dīcam, grege. Numquam sē ille Philō⁴⁹, numquam Rupiliō, numquam Mummiō⁵⁰ antepo-

*Parem esse
īnferiōrī
oportere*

49. Pour Philus, cf. § 14 ; pour Rupilius, cf. § 37.

50. **Spurius Mummius** : légat de son frère *Lūcius Mummius Achaicus*, destructeur de Corinthe en 146 ; en 139, il accompagna cependant Scipion, adversaire de son frère, en Orient.

suit, numquam īnferiōris ōrdinis amīcīs. Q. vērō Maximum⁵¹ frātrem, ēgre-gium virum omnīnō, sibi nēquāquam parem, quod is anteībat ætāte, tamquam superiōrem colēbat ; suōsque omnēs per sē posse esse ampliōrēs volēbat.

[70] Quod faciendum imitandumque est omnibus, ut, sī quam præstan-tiam virtūtis, ingeniī, fortūnæ cōsecūtī sint, impertiant ea suīs commūnicentque cum proximīs, ut, sī parentibus nātī sint humilibus, sī propinquōs habeant imbēcilliōre vel animō vel fortūnā, eōrum augeant opēs eisque honōrī sint et dīgnitātī.

*Fructum
virtūtis
proximīs
impertiendum*

Ut in fābulīs : quī aliquamdiu, propter ignōrātiōnem stirpis et generis, in famulātū fuerunt, cum cōgnitī sunt, et aut deōrum aut rēgum filiī inventī, retinent tamen cāritātem in pāstōrēs quōs patrēs multōs annōs esse dūxerunt. Quod est multō profectō magis in vērīs patribus certisque faciendum. Frūctus enim ingeniī et virtūtis omnisque præstantiæ tum maximus capitur, cum in proximum quemque cōnfertur.

[71] Ut igitur iī quī sunt in amīcitiæ conjūctiōnisque necessitudīne superiōrēs exæquāre sē cum īnferiōribus dēbent, sīc īnferiōrēs nōn dolēre sē ā suīs, aut ingeniō aut fortūnā aut dīgnitāte, superārī. Quōrum plērīque aut queruntur semper aliquid, aut etiam exprōbrant — eōque magis sī habēre sē putant quod officiōsē et amīcē et cum labōre aliquō suō factum queant dīcere. Odiōsum sānē genus hominum officia exprōbrantium ! Quæ meminisse dēbet is in quem conlāta sunt ; nōn commemorāre quī contulit.

*Dē amīcō
superiōre*

[72] Quam ob rem, ut iī quī superiōrēs sunt submittere sē dēbent in amīcitiā, sīc quōdam modō īnferiōrēs extollere. Sunt enim quīdam quī molestās amīcitiās faciunt, cum ipsī sē contemnī putant ; quod nōn ferē contingit, nisi iīs quī etiam contemnendōs sē arbitrantur : quī hāc opīniōne, nōn modo verbīs sed etiam opere, levandī sunt.

[73] Tantum autem cuique tribuendum, prīmum quantum ipse efficere possīs, deinde etiam quantum ille quem dīligās atque adjuvēs sustinēre. Nōn enim neque tū possīs, quamvīs excellās, omnēs tuōs ad honōrēs

*Quōs honōrēs
amīcīs
tribuendōs*

51. **Quīntus Fabius Maximus Æmiliānus** : frère aîné de Scipion, adopté par un Fabius Maxi-mus. Consul en 145, puis proconsul en Hispanie. Il fut, avec son frère, le protecteur de Polybe.

amplissimōs perdūcere, ut Scīpiō P. Rupiliū⁵² potuit cōsulem efficere, frātrem ējus L. nōn potuit. Quod sī etiam possīs quidvīs dēferre ad alterum, videndum est tamen quid ille possit sustinēre.

[74] Omnīnō amīcitiæ corrōborātīs jam cōfirmātīsque et ingeniīs et ætātibus iudicandæ sunt — nec, sī quī, ineunte ætāte, vēnandī aut pīlæ studiōsī fuerunt, eōs habēre necessāriōs quōs tum eōdem studiō præditōs, dīlēxerunt. Istō enim modō, nūtrīcēs et pædagōgī jūre, vetustātis plūrimū benevolentīæ postulābunt — quī neglegendī quidem nōn sunt, sed aliō quōdam modō æstimandī.

*Disparēs mōrēs
dissociāre
amīcitiās*

Aliter amīcitiæ stabilēs permanēre nōn possunt. Disparēs enim mōrēs disparia studia sequuntur, quōrum dissimilitūdō dissociat amīcitiās. Nec ob aliam causam ūllam, bonī improbīs, improbī bonīs amīcī esse nōn possunt, nisi quod tanta est inter eōs, quanta maxima potest esse, mōrum studiōrumque distantia.

[75] Rēctē etiam præcipī potest in amīcitiīs : nē intemperāta quædam benevolentia, quod persæpe fit, impediat magnās ūtilitātēs amīcōrum. Nec enim, ut ad fābulās redeam, Trōjam Neoptolemus capere potuisset, sī Lycomēdem, apud quem erat ēducātus, multīs cum lacrimīs iter suum impredientem, audīre voluisset. Et sæpe incidunt magnæ rēs, ut discēdendum sit ab amīcīs ; quās quī impedīre vult, quod dēsīderium nōn facile ferat, is et īfirmus est, mollisque nātūrā — et, ob eam ipsam causam, in amīcitiā parum jūstus.

*Nē intemperāta
sit benevolentia*

DĒ FALSĪS AMĪCITIĪS

[76] Atque in omnī rē cōnsīderandum est : et quid postulēs ab amīcō et quid patiāre ā tē impetrārī. Est etiam quædam calamitās in amīcitiīs dīmittendīs, nōnumquam necessāria ; jam ā sapientium familiāritātibus ad vulgārēs amīcitiās orātiō nostra dēlābitur. Ērumpunt sæpe vitia amīcōrum tum in ipsōs amīcōs, tum in aliēnōs, quōrum tamen ad amīcōs redundet īnfāmia.

*Quālēs
amīcitiæ
ēluendæ sint*

52. Cf. §§ 37 et 69.

Tālēs igitur amīcitiæ sunt remissiōne ūsūs ēluendæ et, ut Catōnem dīcere audīvī, dissuendæ magis quam dīscindendæ — nisi quædam admōdum intolerābilis injūria exārserit, ut neque rēctum neque honestum sit nec fierī possit, ut nōn statim aliēnātiō disjūctiōque faciēda sit.

[77] Sīn autem aut mōrum aut studiōrum commūtātiō quædam, ut fierī solet, facta erit, aut in reī pūblicæ partibus dissēsiō intercesserit — loquor enim jam, ut paulō ante dīxī, nōn dē sapientium sed dē commūnibus amīcitiīs —, cavendum erit nē nōn solum amīcitiæ dēpositæ, sed etiam inimīcitiæ susceptæ videantur.

*Turpe esse cum
eō bellum
gerere cūjus
amicus fueris*

Nihil est enim turpius quam cum eō bellum gerere quōcum familiārīter vīxeris. Ab amīcitiā Q. Pompēī⁵³ meō nōmine sē remōverat, ut scītis, Scīpiō ; propter dissēsiōnem autem quæ erat in rē pūblicā, aliēnātus est ā collēgā nostrō Metellō⁵⁴ ; utrumque ēgit graviter, auctōritāte et offēnsiōne animī nōn acerbā.

[78] Quam ob rem prīmum danda opera est nē qua amīcōrum discidia fiant ; sīn tāle aliquid ēvēnerit, ut exstīctæ potius amīcitiæ quam oppressæ videantur. Cavendum vērō nē etiam in gravēs inimīcitiās convertant sē amīcitiæ, ex quibus jūrgia, maledicta, contumēliæ gignuntur.

Quæ tamen sī tolerābilēs erunt, ferendæ sunt, et hic honōs veterī amīcitiæ tribuendus, ut is in culpā sit quī faciat, nōn is quī patiātur injūriam. Omnīnō omnium hōrum vitiōrum atque incommodōrum ūna cautiō est, atque ūna prōvīsiō : ut nē nimis citō dīligere incipiant nēve nōn dīgnōs.

*Dē causā cūr
amīcī
dīligantur*

[79] Dīgnī autem sunt amīcitiā quibus in ipsīs inest causa cūr dīligantur — rārū genus. Et quidem omnia præclāra rāra ; nec quicquam difficilius quam reperīre quod sit omnī ex parte in suō genere perfectum. Sed plērīque neque in rēbus hūmānīs quicquam bonum nōrunt, nisi quod fructuosum sit, et amīcōs tamquam pecudēs eōs potissimum dīligunt ex quibus spērant sē maximum fructum esse captūrōs.

53. **Quīntus Pompēius** : consul en 141, il combattit les Numantins avec un succès mitigé ; censeur en 130. Grand-père de son homonyme évoqué au § 2.

54. **Quīntus Cæcilius Metellus « Macedonicus »** (v. 210-115) : préteur en 148, il soumit la Macédoine puis la Ligue Achéenne en 146 ; consul en 143, il vainquit les Celtibères ; censeur en 130 avec le précédent, il pratiqua une politique nataliste acharnée.

[80] Ita pulcherrimā illā et maximē nātūrālī carent amīcitiā, per sē et propter sē expetītā ; nec ipsī sibi exemplō sunt, hæc⁵⁵ vīs amīcitiæ et quālis et quanta sit. Ipse enim sē quisque dīligit, nōn ut aliquam, ā sē ipse, mercēdem exigat cāritātis suæ, sed quod per sē sibi quisque cārus est. Quod nisi idem in amīcitiā trānsferētur, vērus amīcus numquam reperietur : est enim is quī est tamquam alter īdem.

Vēram
amīcitiā
nāturalem esse

[81] Quod sī hoc appāret in bēstiīs volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, ferīs : primum, ut sē ipsæ dīligant — id enim pariter cum omnī animante nāscitur —, deinde, ut requīrant atque appetant ad quās sē applicent ējusdem generis animantīs — idque faciunt cum dēsideriō et cum quādā similitūdine amōris hūmānī —, quantō id magis in homine fit nātūrā ! Quī et sē ipse dīligit, et alterum anquirit, cūjus animum ita cum suō misceat, ut efficiat pæne ūnum ex duōbus.

[82] Sed plērīque perversē, nē dīcam impudenter, habēre tālem amīcum volunt quālēs ipsī esse nōn possunt ; quæque ipsī nōn tribuunt amīcīs, hæc ab iīs dēsiderant. Pār est autem primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem suī quærere.

Inter bonōs
stabilitātem
amīcitiæ fierī
posse

In tālibus ea, quam jamdūdum tractāmus, stabilitās amīcitiæ cōfirmārī potest — cum hominēs, benevolentīā conjūctī, primum cupiditātibus iīs quibus cēterī serviunt imperābunt ; deinde æquitāte jūstitiāque gaudēbunt ; omniaque alter prō alterō suscipiet ; neque quicquam umquam nisi honestum et rēctum alter ab alterō postulābit ; neque solum colent inter sē ac dīligent, sed etiam verēbuntur. Nam maximum ōrnāmentum amīcitiæ tollit quī ex eā tollit verēcundiam.

[83] Itaque in iīs perniciosus est error quī exīstimant libīdinum peccātōrumque omnium patēre in amīcitiā licentiam. Virtūtum amīcitiā adjūtrīx ā nātūrā data est, nōn vitiōrum comes, ut, quoniam sōlitāria nōn posset virtūs ad ea quæ summa sunt pervenīre, conjūcta et cōsociāta cum alterā, perveniret. Quæ sī quōs inter societās aut est aut fuit aut futūra est, eōrum est habendus ad summum nātūræ bonum optumus beātissimusque comitātus.

Amīcitiā
virtūtum
adjūtrīcem esse

[84] Hæc est, inquam, societās, in quā omnia īsunt quæ putant hominēs expetenda — honestās, glōria, tranquillitās animī atque jūcunditās — ut et

Sine virtūte
nōn esse
amīcitiā

55. Les interrogatives indirectes qui suivent dépendent de « *exemplō* ».

cum hæc adsint, beāta vīta sit, et sine hīs, esse nōn possit. Quod cum optimum maximumque sit, sī id volumus adipīscī, virtūtī opera danda est, sine quā nec amīcitiā neque ūllam rem expetendam cōsequī possumus. Eā vērō neglēctā, quī sē amīcōs habēre arbitrantur, tum sē dēnique errāsse sentiunt, cum eōs gravis aliquis cāsus experīrī cōgit.

[85] Quōcircā dīcendum est enim sæpius : cum jūdicāris dīligere oportet ; nōn cum dīlēxeris, jūdicāre. Sed, cum multīs in rēbus neglegentiā plectimur, tum maximē in amīcīs et dīligendīs et colendīs : præposterīs enim ūtimur cōnsiliīs et « ācta agimus », quod vetāmur vetere prōverbiō. Nam implicātī ultrō et citrō, vel ūsū diūturnō, vel etiam officiīs, repente in mediō cursū amīcitiās, exortā aliquā offēnsiōne, disrumpimus.

*Cum jūdicāris
dīligās*

Conclūsiō dē dīligentiā

[86] Quō etiam magis vituperanda est reī maximē necessāriæ tanta incūria. Ūna est enim amīcitiā in rēbus hūmānīs, dē cūjus ūtilitāte omnēs ūnō ōre cōsentiunt. Quamquam ā multīs⁵⁶ virtūs ipsa contemnitur et venditātiō quædam atque ostentātiō esse dīcitur, multī dīvitiās dēspiciunt quōs, parvō contentōs, tenuis vīctus cultusque dēlectat.

*Amīcitiā
maximē
necessāriā
rem esse
cōsentīre
omnīs*

Honōrēs vērō, quōrum cupiditāte quīdam īnflamantur, quam multī ita contemnunt, ut nihil inānius, nihil esse levius exīstiment ! Itemque cētera, quæ quibusdam admīrābilis videntur, permultī sunt quī prō nihilō putent.

Dē amīcitiā, omnēs ad ūnum idem sentiunt ; et īi quī ad rem pūblicam sē contulerunt, et īi quī rērum cognitiōne doctrīnāque dēlectantur, et īi quī suum negōtium gerunt ōtiōsī, postrēmō īi quī sē tōtōs trādiderunt voluptātibus : sine amīcitiā vītam esse nūllam — sī modo velint aliquā ex parte līberāliter vīvere.

[87] Serpit enim nesciō quō modō per omnium vītās amīcitiā, nec ūllam ætātis dēgendæ ratiōnem patitur esse expertem suī. Quīn etiam sī quis asperitāte eā est et immānitāte nātūræ, congressūs ut hominum fugiatque

*Haud
tolerābilem
esse hominī
sōlitūdinem
perfectam*

56. Il s'agit des épicuriens.

oderit — quālem fuisse Athēnīs Tīmōnem⁵⁷ nesciō quem accēpimus —, tamen is patī nōn possit, ut nōn anquīrat aliquem, apud quem ēvomat vīrus acerbitātis suæ.

Atque hoc maximē iūdicārētur sī quid tāle posset contingere : ut aliquis nōs deus ex hāc hominum frequentiā tolleret ; et in sōlitūdine uspiam collocāret ; atque ibi suppeditāns omnium rērum quās nātūra dēsīderat abundantiam et cōpiam, hominis omnīnō aspiciendī potestātem ēriperet. Quis tam esset ferreus quī eam vītā ferre posset, cuique nōn auferret frūctum voluptātum omnium sōlitūdō ?

[88] Vērūm ergō illud est — quod ā Tarentīnō Archyētā, ut opīnor, dīcī solitum nostrōs senēs commemorāre audīvī, ab aliīs senibus audītum : « sī quis in cælum ascendisset, nātūramque mundī et pulchritūdinem sīderum perspexisset, īnsuāvem illam admīrātiōnem eī fore — quæ iūcundissima fuisset, sī aliquem cui narrāret habuisset. » Sīc nātūra sōlitārium nihil amat, semperque ad aliquod tamquam adminiculum adnītitur ; quod in amīcissimō quōque dulcissimum est.

Sed cum tot sīgnīs eadem nātūra dēclāret quid velit, anquīrat, dēsīderet, tamen absurdēscimus nesciō quō modō ; nec ea quæ ab eā monēmur audīmus. Est enim varius et multiplex ūsus amīcitiæ ; multæque causæ suspīciōnum offēnsiōnumque dantur, quās tum ēvītāre, tum ēlevāre, tum ferre sapientis est.

Ūna illa sublevanda offēnsiō est, ut et ūtilitās in amīcitiā et fidēs retineātur : nam et monendī amīcī sæpe sunt et objūrgandī ; et hæc accipiēda amīcē, cum benevolē fiunt.

*Cūr dē amīcīs
monendīs
dissertandum
est*

57. **Τίμων ὁ Ἀθηναῖος** [Timon d'Athènes] : figure semi-légitime de misanthrope ; contemporain de Socrate évoqué par Aristophane, Plutarque et... Shakespeare.

VĒrum amīcum vĒrum esse

QUĀLIS SIT ADŪLĀTIÔ

Utrum
obsequiōsum
an vĒrum esse
oporteat

[89] Sed nesciō quō modō vĒrum est quod in *Andriā* familiāris meus⁵⁸ dīcit : « *Obsequiūm amīcōs, vĕritās odium parit.*⁵⁹ » Molesta vĕritās, siquidem ex eā nāscitur odium, quod est venĕnum amīcitiae ; sed obsequium multō molestius, quod, peccātīs indulgēns, prācipitem amīcum ferrī sinit. Maxima autem culpa in eō quī et vĕritātem aspernātur, et in fraudem obsequiō impellitur.

Omnī igitur hāc in rē, habenda ratiō et dīligentia est : prīmum ut monitiō acerbitāte, deinde ut objūrgātiō contumēliā careat. In obsequiō autem — quoniam Terentiānō verbō libenter ūtimur —, cōmitās adsit ; assentātiō, vitiōrum adjūtrīx, procul āmoveātur, quæ nōn modo amīcō, sed nē līberō quidem dīgna est : aliter enim cum tyrannō, aliter cum amīcō vīvitur.

[90] Cūjus autem aurēs clausæ vĕritātī sunt, ut ab amīcō vĒrum audīre nequeat, hūjus salūs dēspēranda est. Scītum est enim illud Catōnis, ut multa : « Melius dē quibusdam acerbōs inimīcōs merērī, quam eōs amīcōs quī dulcēs videantur : illōs vĒrum sæpe dīcere, hōs numquam. »

Quōsdam
vĒrum audīre
nequīre

Atque illud absurdum : quod iī quī monentur, eam molestiam quam dēbent capere nōn capiunt ; eam capiunt quā dēbent vacāre. Peccāsse enim sē nōn anguntur, objūrgārī molestē ferunt — quod contrā oportēbat : dēlictō dolēre, corrēctiōne gaudēre.

[91] Ut igitur et monēre et monērī proprium est vĒræ amīcitiae ; et alterum līberē facere, nōn asperē ; alterum patienter accipere, nōn repūgnanter — sīc habendum est nūllam in amīcitiīs pestem esse mājōrem quam adūlātiōnem, blanditiā, assentātiōnem. Quamvīs enim multīs nōminibus, est hoc vitium notandum levium hominum, atque fallācium ad voluptātem loquentium omnia, nihil ad vĕritātem.

Adūlātiōnem
maximā in
amīcitiīs esse
pestem

58. **Pūblius Terentius Āfer** (v. 193-159) [Térence] : esclave carthaginois affranchi par Terentius Lūcānus. Ami de Scipion Émilien et de Lélius, dont on dit qu'ils auraient collaboré à ses comédies. Auteur de six comédies sur le modèle de la nouvelle comédie attique : *Andria*, *Hecyra*, *Heautontīmōrūmenos*, *Eunūchus*, *Phormiō*, *Adelphæ*.

59. Trimètre iambique : « *Obsequiūm amīcōs, vĕritās odium parit.* »

[92] Cum autem omnium rĕrum simulātiō vitiōsa est — tollit enim jūdicium vĕrī, idque adulterat —, tum amīcitiæ repūgnat maximē : dēlet enim vĕritātem, sine quā nōmen amīcitiæ valĕre nōn potest. Nam cum amīcitiæ vīs sit in eō — ut ūnus quasi animus fīat ex plūribus —, quī id fierī poterit, sī nē in ūnō quidem quōque, ūnus animus erit, īdemque semper, sed varius, commūtābilis, multiplex ?

Cūr simulātiō
vitiōsa sit

[93] Quid enim potest esse tam flexibile, tam dēvium quam animus ējus quī, ad alterīus nōn modo sĕnsum ac voluntātem, sed etiam vultum atque nūtum convertitur ? « *Negat quis, negō ; ait, āiō ; postrēmō imperāvī egomet mihi / omnia adsentārī*⁶⁰ », ut ait īdem Terentius, sed ille in Gnathōnis⁶¹ persōnā, quod amīcī genus adhibĕre omnīnō levitātis est.

Dē
Gnathōnibus

[94] Multī autem Gnathōnum similēs, cum sint locō, fortunā, fāmā, superiōrēs ; hōrum est assentātiō molesta, cum ad vānitātem accessit auctōritās.

QUEM AD MODUM BLANDĪ VĪTANDĪ SINT

[95] Sĕcernī autem blandus amīcus ā vĕrō et internōscī tam potest, adhibītā dīligentiā, quam omnia fūcāta⁶² et simulāta ā sincĕrīs atque vĕrīs. Contiō, quæ ex imperītissimīs cōnstat, tamen jūdicāre solet quid intersit inter populārem — id est assentātōrem et levem cīvem — et inter cōnstantem et sevĕrum et gravem.

Sĕcernī
blandum
amīcum facile
esse

[96] Quibus blanditiīs C. Papīrius⁶³ nūper īfluēbat in aurīs contiōnis, cum ferret lĕgem dē tribūnīs plēbis reficiendīs ! Dissuāsīmus nōs ; sed nihil dē mē : dē Scīpiōne dīcam libentius. Quanta illī, dī immortalēs, fuit gravitās, quanta in ōrātiōne mājestās ! ut facile ducem populī Rōmānī, nōn comitem

Quam
perniciōsæ
in contiōne
blanditiæ
esse possint

60. Septénaires trochaïques tirés de *L'Eunuque* : « *Negaⁱ quis, neg^o ; ait, āiō ; postrēm^o imperāvī egomet mihi / omni^a adsentārī.* » Pour Térence, cf. § 89.

61. En grec Γνάθων, « Lamâchoire », nom de comédie des personnages de parasite.

62. FŪCĀRE (φῦκος, fucus, orseille) : farder (de rouge).

63. Cf. § 39.

dīcerēs ! Sed adfuistis, et est in manibus oratiō. Itaque lēx populāris suffragiis populī repudiāta est.

Atque, ut ad mē redeam, meministis, Q. Maximō⁶⁴, frātre Scīpiōnis, et L. Mancīnō⁶⁵ cōsulibus, quam populāris lēx dē sacerdotiīs C. Licinī Crassī⁶⁶ vidēbātur ! Cooptātiō enim collēgiōrum ad populī beneficium trānsferēbātur ; atque is prīmus īnstituit in forum versus agere cum populō. Tamen illiūs vendibilem oratiōnem religiō deōrum immortalium, nōbīs dēfendentibus, facile vincēbat. Atque id āctum est prætōre mē, quīnquenniō ante quam cōsul sum factus : ita, rē magis quam summā auctōritāte, causa illa dēfēnsa est.

[97] Quod sī in scēnā — id est in contiōne, in quā rēbus fictīs et adubrātīs locī plūrimum est — tamen vērū valet, sī modo id patefactum et illūstrātum est, quid in amīcitiā fierī oportet, quæ tōta vērītate perpenditur ? In quā nisi, ut dīcitur, apertum pectus videās tuumque ostendās, nihil fīdum, nihil explōrātum habeās : nē amāre quidem aut amārī, cum id quam vērē fīat ignōrēs.

Amīcitiā
tōtam in
vērītate
perpendī

Quamquam ista assentātiō, quamvīs perniciōsa sit, nocēre tamen nēminī potest nisi eī quī eam recipit atque eā dēlectātur. Ita fit ut is assentātōribus patefaciat aurēs suās, maximē quī ipse sibi assentētur, et sē maximē ipse dēlectet.

[98] Omnīnō est amāns suī virtūs. Optimē enim sē ipsa nōvit, quamque amābilis sit intellegit. Ego autem nōn dē virtūte nunc loquor, sed dē virtūtis opīniōne. Virtūte enim ipsā, nōn tam multī præditī esse quam vidērī volunt. Hōs dēlectat assentātiō ; hīs, fictus ad ipsōrum voluntātem, sermō cum adhibētur, oratiōnem illam vānam testimōnium esse laudum suārum putant.

Virtūtis
opīniōnem nōn
virtūtem esse

Nūlla est igitur hęc amīcitiā, cum alter vērū audīre nōn vult, alter ad mentiendum parātus est. Nec parasītōrum in cōmœdiīs assentātiō facēta nōbīs vidērētur, nisi essent mīlitēs glōriōsī. « Magnās vērō agere grātiās Thais mihi ?⁶⁷ » Satis erat respondēre « magnās » ; « ingentēs » inquit.

64. Cf. § 69.

65. **Lūcius Hostīlius Mancīnus** : combattit avec Scipien Émilien en Afrique ; consul en 145.

66. **Gāius Licīnius Crassus** : tribun en 145.

67. Térence, *L'Eunuque* — Thrason, soldat fanfaron s'informe de l'accueil que Thais a fait à son cadeau : « *Magnās vērō agere grātiās Thais mihi ?* » (sénair iambique).

Semper auget assentātor id quod is, cūjus ad voluntātem dīcitur, vult esse magnum.

[99] Quam ob rem, quamquam blanda ista vānitās apud eōs valet quī ipsī illam allectant et invītant, tamen etiam graviōrēs cōstantiōrēsque admōndī sunt : ut animadvertant nē callidā assentātiōne capiantur. Apertē enim adūlantem nēmō nōn videt, nisi quī admodum est excors⁶⁸ ; callidus ille et occultus nē sē īnsinuet, studiōsē cavendum est.

Nec enim facillimē agnōscitur quippe quī etiam adversandō sæpe assentētur, et lītigāre sē simulāns blandiātur, atque ad extrēmum det manūs, vincīque sē patiātur — ut is quī illūsus sit, plūs vīdisse videātur. Quid autem turpius quam illūdī ? Quod ut nē accidat, magis cavendum est. « *Ut mē hodiē, ante omnēs cōmicōs stultōs senēs, / versāris atque inlūseris lautissimē.*⁶⁹ »

Callidam
blanditiā
cavendam esse

PERŌRATIŌ

[100] Hæc enim etiam in fābulīs stultissima persōna est — imprōvidōrum et crēdulōrum senum. Sed nesciō quō pactō ab amīcitiīs perfectōrum hominum, id est sapientium (dē hāc dīcō sapientiā, quæ vidētur in hominem cadere posse), ad levēs amīcitiās dēflūxit ōratiō. Quam ob rem ad illa prīma redeāmus eāque ipsā conclūdāmus aliquando.

Virtūs, virtūs, inquam, C. Fannī, et tū, Q. Mūcī, et conciliat amīcitiās et cōservat. In eā est enim convenientia rērum, in eā stabilitās, in eā cōstantia. Quæ cum sē extulit et ostendit suum lūmen, et idem aspexit agnōvitque in aliō, ad id sē admovet, vicissimque accipit illud quod in alterō est.

Virtūtem
conciliāre et
cōservāre
amīcitiās

68. *EXCORS, EXCORDIS* : crétin, stupide.

69. « *Ut mē hodiē, antē omnēs cōmicōs stultōs senēs, / versāris atque inlūseris lautissimē.* » Sénaires iam-biques de Cæcilius Stātius. D'origine gauloise, il est affranchi vers 222 ; ami d'Ennius ; principal poète comique de son temps — actif après Plaute et avant Térence.

Ex quō exārdēscit sīve amor sīve amīcitiā ; utrumque enim dictum est ab *amandō*. Amāre autem nihil est aliud nisi eum ipsum dīligere quem amēs, nūllā indigentiā, nūllā ūtilitāte quāesītā. Quæ tamen ipsa efflōrēscit ex amīcitiā, etiāmsī tū eam minus secūtus sīs.

[101] Hāc nōs adulēscētēs benevolentīā senēs illōs, L. Paulum, M. Catōnem, C. Galum⁷⁰, P. Nāsīcam⁷¹, Ti. Gracchum⁷², Scīpiōnis nostrī socerum, dīlēximus. Hāc etiam magis ēlūcet inter æquālēs, ut inter mē et Scīpiōnem, L. Fūrium, P. Rupiliū, Sp. Mummiū⁷³. Vicissim autem senēs in adulēscētium cāritāte acquiēscimus, ut in vestrā, ut in Q. Tūberōnis⁷⁴ ; equidem etiam admodum adulēscētis P. Rutilī, A. Verginī⁷⁵ familiāritāte dēlector.

*Dē ætātibus in
amīcitiā*

Quoniamque ita ratiō comparāta est vītæ nātūræque nostræ, ut alia ex aliā ætās oriātur, maximē quidem optandum est ut cum æquālibus possīs, quibuscum tamqua ē carceribus ēmissus sīs, cum īsdem ad calcem, ut dīcitur, pervenīre.

[102] Sed quoniam rēs hūmānæ fragilēs cadūcæque sunt, semper aliquī anquīrendī sunt quōs dīligāmus et ā quibus dīligāmur. Cāritāte enim benevolentīaque sublātā, omnis est ē vītā sublāta jūcunditās. Mihi quidem Scīpiō, quamquam est subitō ēreptus, vīvit tamen, semperque vīvet : virtūtem enim amāvī illīus virī, quæ exstīncta nōn est. Nec mihī sōlī versātur ante oculōs, quī illam semper in manibus habuī, sed etiam posterīs erit

*Virtūtem illīus
exstīnctam
nōn esse*

70. Cf. §§ 6, 9, 21.

71. Cf. §§ 6, 9, 21.

72. **Pūblius Cornelius Scipiō Nāsīca « Corculum »** : en 168, combat en Macédoine ; consul en 162 ; censeur en 159 ; à nouveau consul en 155, il soumet les Dalmates ; grand pontife à partir de 150 ; *prīnceps sēnātūs* à partir de 147. Père du meurtrier de Tibérius Gracchus (§ 41).

73. Cf. § 14, 37, 69.

74. Cf. § 37.

75. **Pūblius Rutilius Rūfus** : élève de Panétius, philosophe stoïcien. En 134, tribun sous Scipion Émilien devant Numance ; en 109 légat de Quīntus Cæcilius Metellus (§ 77), face à Jugurtha ; en 105, consul ; en 94, légat de Quīntus Mūcius Scævola « Pontifex » (Cf. § 1) en Asie, puis gouverneur — sa probité lui aliène alors l'ordre équestre — ; en 92, il est donc accusé de concussion — il refuse tout artifice oratoire pour sa défense et est condamné ; exilé à Smyrne, il y est accueilli avec les honneurs et y consacre le reste de sa vie à l'étude, refusant même de revenir à Rome lorsque Sylla le lui demande en 81. Cicéron l'y rencontra en 78.

clāra et īnsīgnis. Nēmō umquam animō aut spē mājōra suscipiet, quī sibi nōn illīus memoriā atque imāginem prōpōnendam putet.

[103] Equidem ex omnibus rēbus quās mihi aut fortūna aut nātūra tribuit, nihil habēō quod cum amīcitiā Scīpiōnis possim comparāre. In hāc mihi dē rē pūblicā cōnsēnsus, in hāc rērum prīvātārum cōnsilium, in eādē requiēs plēna oblectātiōnis fuit. Numquam illum nē minimā quidem rē offendī — quod quidem sēnserim — nihil audīvī ex eō ipse quod nōllem. Ūna domus erat, īdem vīctus, isque commūnis ; neque solum mīlitia, sed etiam peregrīnātiōnēs rūsticātiōnēsque commūnēs.

*Sē nihil habēre
quod cum illīus
amīcitiā possit
comparāre*

[104] Nam quid ego dē studiīs dīcam, cōgnōscendī semper aliquid atque discendī, in quibus, remōtī ab oculīs populī, omne ōtiōsum tempus contrīvimus ? Quārum rērum recordātiō et memoria sī ūnā cum illō occidisset, dēsīderium conjūctissimī atque amantissimī virī ferre nūllō modō possem.

*Cūr illīus
dēsīderium
tolerābilium sit*

Sed nec illa exstīncta sunt, alunturque potius, et augentur cōgitātiōne et memoriā meā. Et sī illīs plānē orbātus essem, magnum tamen adfert mihi aetās ipsa sōlācium : diūtius enim jam in hōc dēsīderiō esse nōn possum : omnia autem brevia tolerābilis esse dēbent, etiāsi magna sunt.

Hāc habuī dē amīcitiā quā dīcerem. Vōs autem hortor ut ita virtūtem locētis, sine quā amīcitiā esse nōn potest, ut eā exceptā nihil amīcitiā prāstābilis putētis.

CAPITA RĒRUM

Præfatiō ad Atticum — Quō modō dē amīcitiā dissertūrus sit.....	2
<i>Sē ā duobus Scævolīs educātum esse.....</i>	2
<i>Illum olim locutum esse dē duōbus amīcissimīs.....</i>	3
<i>Eum exposuisse sermōnem Læli dē amīcitiā.....</i>	3
<i>Cūr sē Catōnem indūxisse disputantem dē senectūte.....</i>	3
<i>Cūr Lælium dē amīcitiā locutūrum.....</i>	4
Prologus — Quem ad modum Lælius ad disserendum dē amīcitiā incitātus sit.....	4
CŪR LÆLIUS DĒ AMĪCITIĀ DISSERERE OPTIMĒ POSSIT.....	4
<i>Lælium ut aliōs sapientem esse.....</i>	4
<i>Multī scīre volunt quō pactō illum sapientissimum mortem amīcissimī ferat.....</i>	5
<i>Lælium dolōrem ferre moderātē.....</i>	5
<i>Lælium dīcere Catōnem sapientiōrem quam sē fuisse.....</i>	5
SCIPIŌNEM BEĀTISSIMUM FUISSE.....	6
<i>Nihil malī accidisse Scīpiōnī.....</i>	6
<i>Scipiōnem omnia adeptum esse.....</i>	6
<i>Diem mortis ējus clārissimum fuisse.....</i>	7
MORTEM NŌN MÆRENDUM.....	7
<i>Cūr putet animōs nōn interīre.....</i>	7
<i>Cūr ējus ēventū nōn mærendum sit.....</i>	8
<i>Cūr Lælium beātē vīxisse videātur.....</i>	8
<i>Fannium et Scævolam rogāre Lælium ut dē amīcitiā disputētur.....</i>	8
Læliī orātiō prīma — Amīcitiā nātūræ aptam esse.....	9
DĒ AMĪCITIÆ EXCELLENTIĀ.....	9
<i>Amīcitiā omnibus rēbus hūmānīs antepōnendam.....</i>	9
<i>Quī bonī, inter quōs sōlōs amīcitiā esse potest, vērē sint.....</i>	9
<i>Cūr ā propinquitāte amīcitiā dīfferat.....</i>	10
<i>Quanta vīs amīcitiæ sit.....</i>	10
DĒ AMĪCITIÆ VIRTŪTE.....	11
<i>Virtūtem amīcitiā gignere.....</i>	11
<i>Sine amīcitiā nōn esse vītā vītālem.....</i>	11
<i>Cūr amīcitiā maximīs commoditātibus præstet.....</i>	12
OMNĪS HOMINĒS CŌSENTĪRE DĒ AMĪCITIÆ EXCELLENTIĀ.....	12

<i>Omnīs amīcitiā laudāre.....</i>	12
<i>Spectātōrēs plaudere officiōsam amīcitiā.....</i>	13
Laelii ōrātiō secunda — Dē amīcitiā ortū.....	13
<i>Disserere dē amīcitiā pergat Laelius !.....</i>	13
DE AMĪCITIÆ ŪTILITĀTE.....	14
<i>Nōn ad ūtilitātibus amīcitiā dēsiderātam sit.....</i>	14
<i>Ā nātūrā ortam esse amīcitiā.....</i>	14
DE AMĪCITIÆ MAGNITŪDINE.....	14
<i>Virtūtem amābilissimam, etiam apud eōs quōs numquam vīderimus.....</i>	14
<i>Quōmodo admirābilis amīcitiā magnitūdō sit.....</i>	15
<i>Vērūm amīcum nōn amīcī indigēre.....</i>	15
<i>Amīcitiā per sē expetendam.....</i>	16
AMĪCITIĀS SEMPITERNĀS NĀTŪRĀ GIGNĪ.....	16
<i>Epicureōs ab hōc sermōne removendōs.....</i>	16
<i>Amīcitiā ortum ā nātūrā vēriōrem esse.....</i>	16
<i>Cūr vērē amīcitiā sempiternā sint.....</i>	16
Laelii ōrātiō tertia — Quæ vēra amīcitiā exigat.....	17
<i>Nihil difficilius esse quam amīcitiā permanēre.....</i>	17
<i>Cūr amīcitiā labefactantur.....</i>	17
<i>Cum aliquid ab amīcīs quod rēctum nōn sit postulētur.....</i>	17
QUĀTENUS AMOR IN AMĪCITIĀ PRŌGREDĪ DĒBEAT.....	18
<i>« Neque rogēmus rēs turpēs nec faciāmus rogātī ».....</i>	18
<i>Sī amīcī causā peccāveris.....</i>	18
<i>Quæ exempla sumenda sint.....</i>	19
<i>Quæ lēx in amīcitiā sancienda sit.....</i>	19
<i>Dē futūrīs cāsibus reī pūblicæ.....</i>	20
<i>Quid accidat cum improbī adjūtōrem inveniānt neminem.....</i>	20
<i>Excūsatiōne amīcitiā scelera nōn tegenda.....</i>	21
<i>Quæ sit etiam prīma lēx amīcitiā.....</i>	21
<i>Utrum ūtilitās an amīcitiā prīnceps sit.....</i>	21
<i>Quæ mirābilis quibusdam placuisse.....</i>	21
<i>Virtūtem esse cum aliquā cūrā.....</i>	22
<i>Dē angōre istā prō amīcō capiendā.....</i>	22
<i>Animante qui « redamāre » possit dēlectandum esse.....</i>	22

<i>Quamdam benevolentiam nātūrālem esse.....</i>	23
<i>Quōmodō ūtilitās amīcitiā sequātur.....</i>	23
<i>Dē tyrannōrum vītā.....</i>	23
<i>Dē īnsipiente fortūnātō.....</i>	24
<i>Quæ opibus parāre possint.....</i>	24
<i>Num in quibusdam rēbus amīcitiā pariter respondere dēbeat.....</i>	24
<i>Trēs falsās sententiās ferrī.....</i>	24
<i>Quæ possimus causā amīcōrum facere.....</i>	24
<i>Paria officia amīcitiā nōn exigere.....</i>	25
<i>Amīcum nōn tantī faciendum ab amīcīs quantī sē ipse faciat.....</i>	25
<i>Utrum ita amāre oporteat ut sī aliquando esset ōsūrus.....</i>	25
<i>Quibus rēbus ūtendum sit.....</i>	26
<i>IN AMĪCITIĀ DĪLIGENTISSIMUM OPORTERE ESSE.....</i>	26
<i>Difficile esse amīcōs ēligere.....</i>	26
<i>Quālēs amīcitiæ stābilēs sint.....</i>	26
<i>Quibus modīs amīcitiæ temptārī possint.....</i>	26
<i>Ubi amīcus certus cernātur.....</i>	27
<i>Quam necessāria sit fidēs in amīcitiā.....</i>	27
<i>Suāvitātem quamdam amīcō quoque sit.....</i>	28
<i>Veterrimās amīcitiās suāvissimās.....</i>	28
<i>Quanta vīs vetustātis sit.....</i>	28
<i>Dē disparibus amīcitiīs.....</i>	28
<i>Parem esse īferiōrī oportere.....</i>	28
<i>Fructum virtūtis proximīs impertiendum.....</i>	29
<i>Dē amīcō superiōre.....</i>	29
<i>Quōs honōrēs amīcīs tribuendōs.....</i>	29
<i>Disparēs mōrēs dissociāre amīcitiās.....</i>	30
<i>Nē intemperāta sit benevolentia.....</i>	30
<i>Dē falsīs amīcitiīs.....</i>	30
<i>Quālēs amīcitiæ ēluendæ sint.....</i>	30
<i>Turpe esse cum eō bellum gerere cūjus amīcus fueris.....</i>	31
<i>Dē causā cūr amīcī dīligantur.....</i>	31
<i>Vēram amīcitiā nātūrālem esse.....</i>	31
<i>Inter bonōs stabilitātem amīcitiæ fierī posse.....</i>	32
<i>Amīcitiā virtūtum adjūtrīcem esse.....</i>	32

<i>Sine virtūte nōn esse amīcitiām</i>	32
<i>Cum iudicāris dīligās</i>	32
CONCLŪSIŌ DĒ DĪLIGENTIĀ.....	33
<i>Amīcitiām maximē necessariām rem esse cōsentīre omnīs</i>	33
<i>Haud tolerābilem esse hominī sōlitūdinem perfectam</i>	33
<i>Cūr dē amīcīs monendīs dissertandum est</i>	34
VĒRUM AMĪCUM VĒRUM ESSE.....	34
<i>Quālis sit adūlātiō</i>	34
<i>Utrum obsequiōsum an vērū esse oporteat</i>	34
<i>Quōsdam vērū audīre nequīre</i>	35
<i>Adūlātiōnem maximam in amīcitiīs esse pestem</i>	35
<i>Cūr simulātiō vitiōsa sit</i>	35
<i>Dē Gnathōnibus</i>	35
<i>Quem ad modum blandī vītandī sint</i>	36
<i>Sēcernī blandum amīcum facile esse</i>	36
<i>Quam perniciosæ in contiōne blanditiæ esse possint</i>	36
<i>Amīcitiām tōtam in vērītate perpendī</i>	36
<i>Virtūtis opiniōnem nōn virtūtem esse</i>	37
<i>Callidam blanditiām cavendam esse</i>	37
Perŏrātiō	38
<i>Virtūtem conciliāre et cōservāre amīcitiās</i>	38
<i>Dē ætātibus in amīcitiā</i>	38
<i>Virtūtem illius extīnctam nōn esse</i>	39
<i>Sē nihil habēre quod cum illius amīcitiā possit comparāre</i>	39
<i>Cūr illius dēsīderium tolerābilium sit</i>	39

Nous sommes en 44 : César est assassiné aux ides de mars ; Cicéron sera assassiné l'année suivante. Mais c'est aussi l'année où il écrit, outre les *Philippiques*, quelques-uns de ses plus importants ouvrages philosophiques : *Dē senectūte*, *Dē amīcitiā*, *Dē officiīs*.

Le second, dont nous livrons ici une nouvelle édition est presque autant un livre d'histoire qu'un livre de philosophie morale : il est entièrement ancré dans la réalité romaine de la fin de la république, entre Scipion Emilien et les Gracques. C'est pourquoi notre annotation concerne avant tout les innombrables personnages historiques évoqués. On y découvre de l'intérieur la façon dont l'aristocratie romaine a pu vivre la fin d'un certain âge d'or.

Notre édition, ponctuée de frais et macronisée, est pourvue de *titulī* de notre cru qui doivent en favoriser la lecture *apertō librō*. Indiqués en couleur et récapitulés dans une table des matières (*capita rērum*), ils constituent un véritable chemin de lecture pour une œuvre dont le mouvement est beaucoup plus ferme et logique qu'on ne l'affirme généralement.

L'annotation linguistique se limite à quelques constructions difficiles : le style cicéronien est, par essence, le style classique décrit par les grammairiens. On a cependant veillé à ce que les rares mots absents des *Mots Latins* de Fernand Martin soient traduits, de sorte qu'on pourra lire ce livre en évitant de se perdre dans le *Gaffiot*.